SYMBOLA ANTONIANA IGNIS B. ANTONIO APPICTUS MULTIPLICITER...

Theophile Raynaud, Ascanio Rivaldi

Digitized by Google

NAZIONALE
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
8
27 — A
29
ROMA

Digitized by Google

SYMBOLA ANTONIANA IGNIS B. ANTONIO APPICTVS

MVLTIPLICITER EXPRESSVS.

Cœtera eiuſdem Imaginis hieroglyphica perſtricta.

A. R. P. THEOPHILO RAYNAVDO, Societatis IESV, Theologo.



ROMAE, Ex Typogr. Io. Petri Boni. 1648.
Superiorum Permiſſu.

A
8 27-A 37
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

8-27-A-29

CAROLVS SANGRIVS SOCIETATIS IESV VICARIVS GENERALIS.

CVM opus inſcriptum Symbola Antoniana P. Theophili Raynaudi noſtræ Societatis Sacerdotis, tres eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur ſi ita ijs, ad quos ſpectat videbitur. Dat. Romæ 25. Septemb. 1645.

Carolus Sangrius &c.

COmmentariolum Symbolæ Antonianæ inſcriptum, cum Breuiculo Vitæ magni illius Patriarchæ, in locuplete fœcundoque Muſæo R. P. Theophili Raynaudi e Socior. IESV ipſius opera natum, iuſſu Reuer. P. P. Vincentij Candidi Sac. Apoſt. Pal. Mag. pari cura & guſtu legi, piorumpue iuxta ac eruditorum oculis omni ex parte dignum cenſui. Et in fidem ſubſcripſi manu mea. Die 22 Iuuÿ 1647 PETRVS SAVNIER S. Theologiæ profeſſor & in Sancti Spiritu de Vrbe S. [illegible] r.

Digitized by Google

Illuſtriſſimo & Reuerendiſs. D. D.

LAVRENTIO GAVOTO

EPISCOPO VINTIMILIENSI ETC.

Ac eiuſdem Ciuitatis Clero, & Admodum Illuſtres Priori Sindicis, Aſſeſſor, & Caſſerio Magnificæ Communitatis Vintimillienſis Auguſtino Laurentio, Antonio Franciſco Laurentij Iudicis, Paulo Galleano, Antonio Anſelmo, Ioanni Baptiſtæ Viali, ac Spectabili Viro Roberto Approſij & Carolo Franciſco Fenolio. F.

Antonius Maria Ioioſius Camers. D. D. D.

FIDENS ad vos decora veſtra exhibiturus accedo, cuiuſmodi vix poſſet Eccleſia & Ciuitas veſtra optare luculentiora. Gaudet illa quidem eximijs iam olim prærogatiuis cum Sacris tum profanis: quando & Imperatores orbe vniuerſo celeberrimi ex ora veſtra prodierunt, & cœlites glorioſiſſimi qua fuſo ſanguine ſolum veſtrum purpurarunt, qua lilijs nitentiſſimæ ſanctimoniæ amœnarunt & fragrantia virtutum omnium perfuderunt. His florem ex Aegypto carptum adiungo, quem ex Matre veſtrum, hac lu-

cubratione agroſcetis; ita vt non minus poſſit Magnus Antonius Vintimilienſis denominati quam Aſſamonęi, ſint dicti è tribu Iuda, cui non niſi per matrem implantabantur: & tamen non defeciſſe ſceptrum de Iuda donec veniret qui mittendus eſt, diuino oraculo eſt proditum, quia perſtitit in Aſſamoneis, tribui Iuda per matrem conſertis, quorum poteſtas ad Chriſti vſque tēpora pertigit. Haud diſſimili iure Antonium Magnum quia per Matrem, ciuem veſtram editum, vobis vendico & Vintimilienſis ſoli ſurculum ſecurus pronuncio. At quantum ſit hoc decus, ciuem ſuum habere magnum Antonium, quanta hinc tutela & Eccleſię & Ciuitati & Oræ veſtræ vniuerſę, meritò ſit expectanda; fruſtra tentem exponere. Fuit enim S. Antonius oſtentum ſanctimoniæ, nec fidelibus duntaxat inferioris ſubſellij ſed ipſimet Conſtantino Magno & liberis in ſumma veneratione, ita vt reſponſis ſancti viri honeſtatos eſſe honori maximo ducerent, nec ſecus eius monita quàm fuſa de cœlo oracula exoſcularentur. Laudum ſuarum præconem habuit laudatiſſimum vniuerſę Eccleſię virum omni ſuperiorē encomio Magnum Athanaſium. Cui ſtudioſè ſubiuncti ſunt Baſilius, Chryſoſtomus, Auguſtinus Hieronymus, Caſſianus, Aldelmus, Tiofridus, cui concinnè ſimul ac plenè Sancti Dei fuit hominem laudaturo, ſat dicere, ANTONIVS SPECIALIS ET PRINCIPALIS

CVRIA

CVRIA SANCTI SPIRITVS. Vix eſt quod ad hanc verborum emphaſim, tametſi cortice ſubſtrictam, poſſit accedere, ſi introſpiciatur. Quidni igitur iuſtius cum Alexandrinis Antonium ſibi ex patre vindicantibus contendatis; quam pro cœco Fabulino olim heptas ciuitatum certauit? Tutelam verò ab eius præſidio & apud Deum gratia, non poteſtis non ſperare maximam, cum Sancti in cœlo non dediſcant humanas neceſſitudines quibus hic ſunt illigati, & dulcedo loci vnde originem & primam vitæ vſuram repetunt, non poſſit non blandè mulcere pectora honeſto defœcatiſſimo incocta, cuiuſmodi ſunt Beatorum in cœlo ciuium. Quare ſpem concipio PRAESVL ILLVSTRISSIME, fore vt pro tua humanitate & in Ciuitatem, cui iure ſacrorum præes paterno affectu, acceptum habeas munuſculum eidem Ciuitati tuę adeò honorificum, ab obſcuro quidem & ignoto tibi homine tranſmiſſum; ſed quem non latent inſignia tua ornamenta & reportatum ex obitis Pontificia delegatione muneribus eximium decus, non Liguribus modò ac Inſubribus, ſed etiam Heluetijs perpetua laude celebrandum. Vobis verò CRVES ET MAGISTRATVS VINTIMILIENSES COLENDISSIMI, nullus dubito quin hæc lucubratio ab homine propè veſtro conſcripta & tantum vobis conciliatura ornamentum, acceptiſſima prodeat, excitatura in veſtris pectoribus auctiorem

rem erga eximium hunc cœlitem iuſtiſſimi affectus menſuram cui comitetur fiducia excellentis apud Deum tutelæ, vnde in promptu ſit quo in omnibuss quibus humana vita ſemper abundat cœleſtis præſidis neceſſitatibus perfugium ſecuri captetis. VALETE.



Digitized by Google

AVTOR SACRO ORDINI S. ANTONII.

CVI aptiùs iuſtiuſue quàm vobis, ALVMNI ANTONIANI RELIGIOSISSIMI, hanc lucubratiunculam inſcriberem, occurrit nemo. Partus eſt multorum pijs deſiderijs pridem expettus; dum quid vulgatiſſima Symbola S. Patris imagini appicta præferant, auent cognoſcere. Non poterit autem vobis non accidere gratum, domeſtica decora in his Symbolis abdita, ex hiſce veluti inuolucris educta perſpicere. Occulunt enim parentis ſanctiſſimi inſignes præcipuaſque prærogatiuas, quibus ille coram Deo & hominibus tanquam ſydus micantiſſimum dum ſupereſſet præfulſit, præfulgebitque in cœlo ad perpetuas æternitates. Erit id quoque potens ad ſanctam æmulationem incentiuum; quod à propriæ cuique familiæ parente acceptius eſt, & cum primis fructuoſum. Quare ad auctiorem gratiam conciliandam ei florulentiæ virtutum, quæ in S. Antonij familia ab aliquot præſertim iam annis vernantiſſimè renidet, fragratque ſuauiſſimè; non poterit non inſigniter commodare hæc veluti rigatio, à corriuatis in veſtras areolas, diuini huius viri gratiarum fluentis, quibus illum primum Spiritus Sanctus viſitauit inebriauitque, multiplicans eum locupletare. Nec me laboris fructu fraudandum ſpero. Quinimo lucro mihi non minore, quàm alijs quorum votis hanc diſſertationem reddo, nauatam operam poſſum exiſtimare. Auſim enim illas B. Athanaſij voces, quibus opus ſuum de vita S. Antònij pijs Exactoribus reddit, meas facere. *Magna cum lætitia ſuſcepi veſtræ charitatis imperium. Etenim mihi ingens lucrum eſt atque vtilitas,*

hoc

hoc ipſum quod recordor Antonij. Sanè ſi eodem B. Athanaſio iudice, *Perfecta eſt ad virtutem via, Antonium ſcire quis fuerit*, non potuit mihi ſcriptiunculam iſtam elucubranti, tenue extare pretium operæ; quandoquidem eę dotes quibus vir Sanctus etiamnum ſuperſtes, MAGNVS antonomaſticè audiuit, emblematis hyeroglyphiciſque eiuſdem imagini appictis abditæ, hic euoluuntur. Eſt igitur quod & eorum cauſa qui expetierunt, & mea cui votis illorum reſpondere, ceſſit inſigni lucro, benè nauatam operam gaudeam: præſertim ſi contributo orationum veſtrarum pio cenſu, efficiatis, ſic à me celebratum eſſe Antonium, vt non
Ser. 135. inanis celebrauerim. Eſt autem teſtimonio Chryſologi, inanis qui celebrat niſi quod celebrat, imitetur. Pignus fiduciæ haud irritorum votorum tenebo ſanè eximium, ſi quos Dei ſeruos, conuerſationis in cœlo imaginem, & Prædeſtinatorum in Ezechielis viſo characteriſmum, præferre veſte video; ſuffragatores apud Patrem optimum, atque optatorum ſequeſtros, haberé contingat. **VALETE.**

Digitized by Google

EXTREMORVM

CIRCA IMAGINES,

Symbolicas declinandorum, exempla quædam.

1 ESSE in Eccleſia DEI, imagines & picturas quæ aliud ſpecie externa exhibeant, aliud reuera repræſentent, ratum, eſſe debet ac exploratum; quique id minùs perſpexerunt, multis & pinguibus erroribus impliciti, procul à vero abierunt; vel nubem quaſi Ixiones amplexi, vel ea inficiati quę nullo pacto inficiari par fuerat. Antiquiſſimum ſymbolicæ imaginis exemplum ſuppeditat Euſebius, [a] viſam abs ſe pro palatij foribus picturam affirmans, Conſtantini Magni, ex quo Chriſtum profeſſus eſt, ingenio delineatam, qua Satan eatenus Dei Eccleſiæ infeſtus, Draconis ſpecie, Chriſti præſidio per Conſtantinũ tranſfixus, medio ventre ſuis ac ſuorum pedibus calcatus atq; protritus, demũ in profundum maris pręcipitatus, ſubtili & artificioſa varietate exhibebatur. Hoc qui extimę tabulę intentus,

a Lib. 3. de Vita Conſtãt. c. 3.

de Dracone quopiam corporeo per Conſtantinum transfoſſo & calcato, ac in fluctus tracto intellexiſſet, næ ille abſuiſſet à veritate quàm longiſſimè. Sed vt Euſebius optimè expreſſit, ſymbolum id erat, & ænigma Sacrum, quo Satan qui in ſacris voluminibus, *Serpens vectis, & aſpis, ac baſiliſcus, & draco audit*, verbi dei gladio opera Conſtantini perfoſſus, extremo exitio delendus, repręſentabatur.

2 Eiuſdem generis eſt pictura S. Georgij, ſpecie equitis cataphracti, draconem vibrata haſta ferientis: vt virginem ſupplicem palmas ad illum protendentem, draconis faucibus, & exitio ſubducat. Hæc ad veritatem hiſtoriæ nuſpiam alibi inſinuatæ, retulit Iacobus de Voragine. In alio autem extremo Nouatores, S.Georgium occaſione accepta ex ea pictura, *Papiſticum Perſea*, denominare non erubuerũt, quod facere memini Gaſtrimargum Chamierium in Epiſtolis Ieſuiticis, *pag.* 46. Et præiuerat Lutherus in Sympoſiacis [a] ac Melancthon, [b] & vtriuſque combibo Martinus Kemnitius.[c] Reuera autem neque ea pictura puram hiſtoriam continet, vt inſulsè nimis, in ſuam multarum indiſcuſſarum narrationum collectionem intruſit Iacobus: neque ferendi ſunt, qui S. Georgium, merum ſymbolum eſſe, nec aliquando in rerum natura extitiſſe ſunt fabulati: ſed inhærendo veritati, quæ inter extremos errores media ſemper eſt, vt Chriſtus inter latrones, (iudicium eſt Nouatiani, [d] liquidò in

omnibus

a cap.53

b In apolog. cõf. Auguſt.

c 3. par. examin. Conſil. Trid.

d Lib. de Trinit. c. 30.

omnibus propè hæreſibus comprobatum) floruit aliquando reipſa in terris S. Georgius, & nunc in Cœlo fruitur præmijs laborum hic exceptorum; omnibus in eius cultum Chriſtianis gentibus, in Oriente, Occidente, Meridie, ac Septentrione flagrantibus, vt diligenter proſequitur Serarius [a] ac ipſis etiam Muſulmannis, tam infenſis Chriſtiani nominis hoſtibus, quod Cantacuſenus [b] recitat, S. Georgium, (quem ipſi *Cheter Eliaz*, appellant,) omni honore ac veneratione proſequentibus. Coetera verò quę imagini eius appinguntur, hieroglyfica ſunt ac ſymbolica, ad prouinciæ cuiuſpiam expreſſionem, quæ Sancto Martyri ſupplex accidat, liberationem à graui aliquo malo exoratura, vt Baronio [c] eſt viſum: vel ad expreſſionem liberationis Eccleſiæ à dracone myſtico, vt Laurentius à Villauicentio [d] philoſophatur.

a Lib. 2. Litan. q. 20.
b Apol. 3
c In Martyr. 23. Apr.
d L. 3. de ratio. ſtud Theol. c. 7.

3 Ae què ex ſymbolica Sancti Chriſtophori Martyris pictura, in diuerſos errores inducti ſunt, hinc ſectarij, inde ſimplices aliqui Catholici. Nam è ſectarijs, Chamierius [e] inter fabulamenta recenſet, quidquid de S. Chriſtophoro circumfertur, nec vllum talem eſſe cœlitem pro certo ſtatuit, quod ipſum Stigelius Lutheranus [f] ſentire viſus eſt, & apertè Chytræus [g] Contendunt hi ſectarij, & paſſim cœteri, emblema ſacrum otiosè à plebecula, per oſcitantiam Paſtorum, transformatum eſſe in imaginem ſancti cuiuſpiam Martyris, retento

e In ep. Ieſuit. pag. 46.
f Carm. de Sanc. Chriſtof.
g In Onomaſt.

Chriſtophori nomine, quod nauo, & Apoſtolici Zeli concionatori, vel intrepido Chriſtianæ fidei profeſſori, in pictura hrieroglyphica inditum fuerat. Chriſtophorum autem proprij nominis Martyrem, cui aptari ſymbola vulgatę eius picturæ immiſſa poſſint, nullum fuiſſe, adcò fixum habent, vt ne dubitari quidem ſinant. Videtur huic placito adhæſiſſe Ioannes Pierius ad calcem libri decimi quinti Hieroglyficorum. E contrario rudes aliqui Catholici, non modò Sanctum Chriſtophorum proprij nominis martyrem, verum cœlitem agnoſcunt, (de quo nemo ſanus ambigit, firmante eam veritatem in ſacris tabulis Eccleſia Græca æquè ac Latina;) ſed quæ in eius pictura repræſentantur, abſquè alia gloſſa admittunt, vt iacent, & S. Chriſtophorum fuiſſe arbitrantur Gigantæa mole hominem, qui Chriſtum infantis ſpecie obuerſatum, per aquas altiſſimas, humeris ſublatum traduxerit, procera arbore pro ſcipione vſus: Cum tamen certum ſit, hęc ferè omnia ſymbola fuiſſe ingentis animi, quo vir Sauctus glorificauit, & portauit Chriſtum in corpore ſuo, per fluctus, & ærumnas multas, vt optimè pręter cæteros expreſſit Vidas. [a] Quanquam proceritas corporea S. Chriſtophori, & Gigantæa ſtatura, citra ſymbolum admitti poteſt, cum Serario [b] & alijs Nec abs re. Sanè Ludouicus Viues, molarem S. Chriſtophori dentem, exhibitum eſſe pugno maiorem teſtatur; & Bernardus Brendebachius,

a hymn. de Sancto Chriſtophoro

b 2. Lit. q. 20.

de

de quodam eiuſdem ſancti eſſe admodùm magno meminit. Pe'em cum crure, & coxa eiuſdem Martyris, carne ac pelle planè integra, capto per Turcas Byzantio exportatum in Occidentem, cum Gennadij Patriarchę Syngrapha, ſcribit ex teſtimonio Boſnenſis Antiſtitis, Melchior Incoter. a Dimenſio autem pedis illius', pertingebat à calcaneo hominis iuſtæ ſtaturę, adhidem axillã eiuſdem. Ex quo æſtimare licet totius corporis proceritatẽ, & magnitudinẽ, vt ex Herculis b pede apud Gellium, altitudo ac moles eius eſt deprehenſa. Itaque quantum attinet ad molem, & proceritatem, poteſt S. Chriſtophori imago accipi ad litteram, abſque Symbolicæ interpretationis adminiculo.

a in Mãtiſſa ad opus pro epiſtola deiparæ nota 76.

b lib. 1. cap. 1.

4. Miſſas conſulto facio alias pleraſque imagines, admiſtione Symbolorum, & hieroglyphicorum conſpicuas, vt vni inſiſtam imagini S. Antonij, quæ omnium maximè, Symbolis appictis abũdat. Effingitur enim S. Antonius ſpecie venerabilis ſenis, promiſſa barba, monaſtico opertus amictu, cui ad pallioli latus ſiniſtrum impreſſa figura T. manu vna librum tenens, & implicitum baculum, altera campanulam: ad pedes habens hinc ſuem, inde ignẽ luculentum. Hæc omnia ad hiſtoricam veritatem non pertinere, certum exiſtimo. Neque enim magnus Athanaſius rerum B. Antonij accuratus ſcriptor, tale quid de eo memorat. In ijs item ſcriptis quibus Aſcetarum Orientis

exercitationes ad exemplum ferè earum quas D. Antonius obiuerat, recenſentur; nihil habetur, quo ſuadeatur vel etiam inſinuetur, prędicta iuxta hiſtoriam ad S. Antonium pertinere. Itaque extra dubium pono, Symbola eſſe & hieroglyphica, imagini Sancti Viri appicta, ad exhibendas inſignes eius prærogatiuas. Congruit hęc Symbolorum appoſitio homini AEgyptio. Nam apud AEgyptios Symbola præſertim in vſu fuiſſe, Claudius Minos lib. de ſymbolis præfixo Alciati embl. fusè perſequitur. Itaque ſigillatim demonſtrandum, & enucleandum ſuſcipio, quid illa ſymbola, quæ B. Antonij imagini appicta dico, præ ſe ferant, expoſitionis initio facto à primaria & maximè celebri B. Antonij teſſera, hoc eſt ab igne. Nam de cæteris, expeditior, & minoris (vt ſic dicam,) impenſę, poterit eſſe diſquiſitio.

§. 2.

Symbolum ignis S. Antonio appicti, quodnam de Vulgatiore Sententia.

1. VArij variè de notione huius Symboli S. Antonio appicti pronunciauerunt. Viſum quippè eſt nonnullis, idcirco ignem ei appingi, quod ſpeciali prærogatiua conceſſum illi à Deo ſit, auertere ignem infernalem, vt loquitur S. Thomas,[a] quem paſſim, de igne æterno locutum cenſent: (rectè ne poſtea attingam,) & idcirco ita S. Antonium interpellat Iulius Scaliger.

a in 4. d. 45. q. 3. a. 2. ad 2.

Ma.

Magne pater furuum defendas fortior hoſtem.
Siſque metus diris ignibus, igne tuo.

Alij ſpectatam putant aliam ſpecialem prę-rogatiuam eiuſdem ſancti, in reſtinguendis luxurię ignibus: quam S. Antonij prærogatiuam, agnoſcere videtur Gerſo, [a] nixus inſignibus victorijs, ab eo de carne ſua, & igne profano luxuriæ reportatis, teſte S. Athanaſio. [b]

2. Frequētius eſt, vt idcirco appoſitus ignis in B. Antonij imagine exiſtimetur, quia contactis igne ſacro, ex ſpeciali munere diuinitus conceſſo, ſanitatem exorat. Deprehenſum id nominatim anno 1089. ſæuiente ea ęgritudine, quam his verbis deſcribit Sigebert. [c] [Annus peſtilens, maximè in Occidentali parte Lotharingiæ, vbi multi ſacro igne interiora conſumente computreſcentes exeſis membris inſtar carbonum nigreſcentibus, aut miſerabiliter moriuntur, aut manibus ac pedibus putrefactis truncati, miſerabiliori vitæ reſeruantur: multi verò neruorum cōtractione diſtorti tormentantur. [Exſcripſit Sigebertum Vincentius Belloуacenſis. [d] Per eam verò ægritudinem, omnino multos cuiuſuis ſexus, & ætatis cecidiſſe ſcribit Hugo [f] Farſetus. Similiter Abbas Vrſpergenſis anno 1099. vel mortuos, vel debilitatos fuiſſe benè multos, his paucis meminit. [Plaga illa quę circa Niualenſem S. Gertrudis Eccleſiam orta eſt, vſque ad vitæ deſperatio-

a 4. par. Ser. de S. Anton. conſid. 3.
b cap. 4. vitæ.
c in chrō. ad eum an.
d lib. 25. ſpec. hiſt. cap. 84. & 90.
f apud Aymarū 2. p. hiſt. Anton. cap. 11.

nẽ terruerat erat autẽ huiuſmodi. Tactus quiſpiam igne inuiſibili, quacunque corporis parte; tandiu ſenſibili, imo incomparabili tormento, etiam irremediabiliter ardebat, quouſque vel ſpiritum cum cruciatu, vel cruciatum cum ipſo tacto membro amitteret. Teſtantur hoc hactenus nonnulli, manibus, vel pedibus hac pœna trũcati. [Hoc indiſcriminatim omnibus accidiſſe, Glaber [a] eiuſdem morbi mentionem faciens, ſic explicat.] Occulto Dei Iudicio cœpit deſæuire in ipſorum (Roberti Regis filium Henricum, & filios Odonis), plebibus diuina vltio. Conſumpſit enim quidam mortifer ardor multos, tam de Magnatibus, quàm de mediocribus atque infimis populi, quoſdam verò truncatis membrorum partibus, reſeruauit ad futurorum exemplum. Iuo [b] item queritur obduruiſſe peccatores quamuis morbus qui dicitur *Sacer ignis*, multorum membra ad præciſionem, multorũ corpora ad mortem duceret.

[a] lib. 5. hiſt. c. 1. ſub finẽ cum. de an. 1041

[b] epiſt. 71.

3 Vt magnitudo huius calamitatis, & S. Antonij apud Deũ gratia in tam ferali morbo depellẽdo liquidior ſit, nolo reticere quæ de hu plagæ atrocitate habemus in actis S. Genulphi. [c] Contigit aliquando (inquit Autor ſub tempora de quibus agimus, ſcribens,) iudicio DD. quodam carnis incendio, multos periclitari Mortalium ex populo Chriſtianorũ. Quorum multitudines ob ſui remedia depoſcenda Sanctorum expetere loca certantes, huc etiã

[c] in lib. mira. ex Bibl. Floriac. cap. 12.

quàm

quam plurimi tunc fidelium miſeratione ſubſidioq; delati ſunt. Qui ſecus Eccleſiæ fuſi iacentes introitum, ob intolerabilem paſſionem, diu noctuque magnis clamoribus Saluatoris mundi clementiam, ſanctiquè Præſulis Genulphi ſuffragia proclamabant. Erat autem non ſolùm audire ſtridores eorũ præ dolore, vel exſtas à corporibus effluere partes videre, miſeria: verùm etiam ex putrę carnis fœtore, res intolerãda. Qua clide multa eorũ cõſũpti ſunt. Inter miracula S. Hilarij Pictauiẽſis ſub annũ 1150. atque adeò tempore de quo agimus patrata, non abſimilis calamitas graphicè deſcribitur à Ioanne Boucheto. Et ſunt qui eodem referant ægritudinem à qua S. Genoueſa vrbem Pariſienſem interpellata liberauit, quia Anonymus à quo rem geſtam habemus, vocat eam ægritudinem *morbum igneum*, quem (inquit) Phyſici ſacrum ignem appellant, ea nominum inſtitutione, qua nomen vnius contrarij, alterius ſignificationem ſortitur. Luctuoſam admodùm faciem per mortes, & conſternationem omnium præ ignis illius atrocitate, deſcribit diligenter idem Anonymus, profeſſus hæc regnante Ludouico Craſſo Philippi 1. Francorum Regis filio contigiſſe, atque adeò qua ætate graſſatam, præſertim in Gallia igni atiam hanc corporum vexationem præmiſimus.

4. En ergo ſtrages ab igne morboſo corpora incendente ac horribiliter diſcruciante, &

ſtra.

ſtrages magna nimis. Nec alia fuit præſentior tanto malo medela, quàm à quorundã cœlitũ, ſed præſertim à S. Antonij inuocatione: eamque multis fuiſſe fructuoſam, teſtatur Aymarus Falco,[a] Autor breuiculi hiſtoriæ Antonianæ. Et opportunè accidit, vt ſacræ Beati Antonij exuuię, à Iocelino Pictauienſium Comitum familia Conſtantinopoli aduectæ, iuſſu Vrbani Papæ II. in Gallia tunc agentis, à loco profano & incerto (circumferebantur enim quocunque pergeret Iocelinus) ab hęrede eius ac propinquo Guigone Deſiderio, in ſtabili ſede religioſa, magna celebritate conſtituerentur. Vnde animati populi, ad Spem concipiendam ſanitatis per tutelam S. Antonij, preces ad eum ac vota fundebant. Et ſpei illicò reſpondente euentu, factus eſt tantus concurſus populorum, ſanitatem precibus S. Antonij expoſcentium, vt fidem prope ſuperaret multitudo. Omnino multi reos ſe votorum agnouerunt, ſoſpitate recuperata. Alijs leuandis, obiectus per viſum Gaſconi viro nobili æquè ac copioſo, S. Antonius, Noſocomij ſtructuram, attributis quas eidem ſancto addixerat facultatibus demandauit. Vnde factum eſſe initium ſacri illius inſtituti, quod *Hoſpitalariorum S. Antonij* denominatur, & Falco[a] ex multorum ſenſu prodit, & ratum habet, in Annalibus Card. Baronius.[b]

5. Hinc igitur factum cenſent plerique, & ipſe inprimis Falco[c] Antonianus hiſtoricus, vt ignis

a 2. par. cap. 11. & 31.

a 2. par. cap. 33.

b anno 1089.

c 1. par. hiſt. c. 45.

ignis B. Antonio appingeretur. Idem habet Molanus;[a] qui addit, eam ob cauſam pleriſque locis, doctos Maiorum experimento mortales, graſſante lue ac ignis in modum depaſcente omnia, ad B. Antonij præſidium confugere, & eius imagine pro foribus conſtituta, illum ſibi & auerruncum & alexicacum optare, & Deo propitio experiri. Peculiare certè D. Antonij munus eſſe ſolere, ab huiuſmodi igne ſacro liberare mortales, communis iam olim ſenſus tulit, ſuffragantibus crebris fauſtis experimentis firmatus. Vnde oratio Eccleſiaſtica in peculiari S. Antonij officio, ita habet; Deus qui concedis obtentu B. Antonij morbidum ignem extingui, & membris ægris refrigeria præſtari. Hymnus item Eccleſiaſticus de eodem Cœlite, eandem illi adſcribit facultatem; ſic enim habet.

Manum ægris imperantem
Seruo dedit Dominus:
Vt cum iubet, vi naturæ
Fiat morbi terminus;
Et tollatur infernalis,
Herpes AEſtiomenus.

En *infernalem ignem* graſſantem in ſuperſtitum corpora, ad eum modum quem Glaber, Iuo, Abbas Vrſpergenſis, & alij ſuperius adducti repræſentant. Varias eius formasia perit Fracaſtorius.[b] Apud Arabas hic mor-

[a] lib. 3. de imag. cap. 5.

[b] lib. 2. de mor. contag. cap. 13.

a cap. 3. var. c. 9. morbus (vt Mercurialis notauit,[a] dicitur *formica*; apud Scribonium *Zona*; apud Plinium *Zoſter*, & *Circinus*; apud Græcos *Herpes* vt dictum eſt; apud Latinos *ignis Sacer*. Impegit autem Seruius ad illud tertij Georgicor.

Contractos artus Sacer ignis edebat.

Cum cenſuit *ignem Sacrũ* eſſe quod ἱερὰν νόσον Græcorum. Nam *morbus ille*, idipſum eſt quod *morbus Comitialis*, qui longè differt ab igne ſacro. Quem etiam malè Cornarius apud Hippocratem, expreſſit voce *Eriſypelatis*, b lib. 5. cap. 26. & 28. cum latum ſit diſcrimen inter ignem Sacrum & Eriſypelatem, vt apud[b] Celſum videre eſt. Præ Omnibus parum aptè Ioannes Boucherus, hunc ignem Sacrum planè ſibi ignotum profeſſus, coniectat eſſe quem Galli Neapolitanam luem vocant, Itali, Gallicam; Neutri verè, cum eſſet dicenda, lues Indica ante ſæculum aduecta.

Ignis ergo S. Antonij populariter dictus, talis eſt qualem deſcripſi. Hinc porrò collige, verum ſenſum S. Thomæ ſuperiùs adducti, de peculiari prærogatiua S. Antonio conceſſa curandi ignem infernalem. Neque enim agit de igne æterno inferni, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius, in quem ſenſum à pleriſque allegatur S. Doctor. Sed agit de hoc igne Sacro, cuius immiſſio eſt plerumque per Angelos malos; & idcirco dicitur *ignis infernalis*.

Eiuſ-

Digitized by Google

Eiuſmodi quippe ignis infernalis auertendi aut curandi, prærogatiuam peculiarem habet diuino munere S.Antonius, vt euenta iam olim monſtrarunt. Contra ignem autem æternum, non plus præſidij eſt in S.Antonio, quàm in aliorum Sanctorum eiuſdem apud Deum gratiæ, ſuffragatione ac precibus: atque ita non eſſet, cur ob eam cauſam ignis appingeretur B. Antonio.

7 Nolo in excutiendis protritis hiſce placitis hactenus recitatis de igne in pictura S. Antonij expreſſo, diligentiam probare. Quanquam quod primo loco proferebatur; ex ijs quæ proximè adduximus, conuulſum manet. Nec ſecundum quod continenter ſubijciebatur, eſt reuera ſolidum. Si enim D. Antonio appingitur ignis, quia eius deprecatio multum valet contra ignem Luxuriæ, quidni potiori iure appingendus eſſet ignis, omnibus Deiparæ imaginibus, cum conſtet, profanos illos ignes, nullius puræ creaturæ præſidio fortiùs certiùſque reſtingui poſſe, quàm ſuffragatione & tutela *Reginæ totius Caſtitatis*; qua Vernantiſſima appellatione Deiparam inſignit Petrus Chyſologus.[a] Omnibus item ſacris Virginibus, quæ florem pudicitiæ, vel cum corporis ſui clade illibatum ſeruarunt, ac nominatim B. Agneti cuius vel ipſum nomen Iudice B.Auguſtino[b] *puram, & caſtam* ſonat, congruentiſſimè appingendus eſſet ignis; cum ſit longè veriſſimillimum lectas illas animas

quæ

a Serm. 143.

b Serm. de ea.

quæ in perpetuum coronatæ triumphant, incoinquinatorum certaminum præmium vincentes, vt Sapiens dixit, a omnino multum apud Deum poſſe in ea cauſa, in qua fidem Deo æquè probarunt, ac S. Antonius, vel etiam multo magis. Tertium denique placitum, anguſtius fortaſſis eſt, quàm S. Antonij dignitas ferat. Vbique enim & per multa Secula, appingitur ignis B. Antonio, cum tamen præſidium eius, in depellendo vel auertendo igne Sacro, oræ Gallicanæ ante ſexcentos circiter annos perſenſerint. Præterquàm quod hac ratione, S. Genulphus Cadurcenſis Epiſcopus, quem aduersùs hunc ignem, plurimi experti ſunt ſoſpitatorem, vt Benedictinus Anonymus in Floriacenſi Bibliotheca adductus latè refert, deſcribens Sancti viri miracula cap. 12. æquè pingendus eſſet appoſito igne. Et idem eſſet de S. Hilario Pictauienſi qui ſub annum 1150. multis in Aquitania præſto fuit aduersùs hunc morbum, vt ſcribit agens de eius miraculis Ioannes Boucherus. Item idem eſſet de S. Genoueſa. Sed (vt dixi,) pium Vulgi Senſum non ſollicito; abundet vnuſquiſque in ſuo ſenſu, dummodò ſas mihi quoque ſit, pios alios ſenſus in hac ipſa cauſa expromere.

a Sap. 4.

Ignem

§. 3.

Ignem B. Antonio appictum, eſſe ignem, quo Vir Dei, reſtinguendo igni Luxuriæ pedes aduſſerit, quorundam Sententia.

1 S. Antonium in Seceſſionis ſuę principijs, acres & vehementes à Luxuriæ ardoribus perpeſſum eſſe moleſtias, S. Athanaſius, a non diſſimulauit, deſcribens efferueſcentem in medullis eius laſciuiam, & fœdas ſpecies obiectarum illi formarum quibus ineſcaretur; nec non dolorem Spiritus fornicationis viſibiliter conſpicui, ſortem ſuam deflentis, quod poſt tot alios ex voto proſtratos, ab vno Antonio pertinaciter repulſus eſſet. Neque tamen abiecit haſtam perfidus hoſtis, aut impuros ignes tetro halitu excitare fatigatus eſt, qnamdiu per ætatis flagrantiam, & humanæ conditionis lubricum, potiundi optatis ſpes fuit. Sed Sanctus Iuuenis apprehendens ſcutum fidei, omnia tela nequiſſimi ignea extinxit: Ijs inquam munitus remedijs, quæ fidei noſtræ ſeplaſia ſubminiſtrat, ſtetit Illæſus, nec vlla valuit impurarum flammarum incentore Satana ſuccenſarum, Orciniana vehementia violari, nedum conſumi.

a cap. 4.

2 Cum autem ſint varia aduersus huiuſmodi libidinoſos ignes remedia, de quibus Gulielmus Aruernus, Epiſcopus Pariſienſis, b & Dio-

b lib. de tentat. & reſiſt. c. 4.

Dionyſius Richelius, [a] ac Eſpencæus, [b] paſſimque alij; illud tamen fuit pleriſque Sanctorum præſentiſſimum, ſi carnem laſcinientem impacto ſtimulo compungerent, & admotione alicuius afflictiui cruciarent. Sic S. Benedictus, cùm Satanas tanto igne eius animam in ſpecie mulieris aliquando conſpectæ incendiſſet, vt penè de receſſu ab Eremo cogitaret, aſpirante Deo, exutus indumento, nudum ſe in ſpinarum aculeis, & Vrticarum incendijs (vt S. Gregorius [c] loquitur,) volutauit; Et per cutis vulnera, eduxit à corpore vulnus mentis: quia voluptatem traxit in dolorem: cùmque benè pœnaliter foris arderet, extinxit quod intus illicitè ardebat: Vicit itaque peccatum, quia mutauit incendium. S. Franciſcus vrgente pari neceſſitate, niuis aceruum amplexatus, repreſſit carnis petulantiam; quod miror cur Eſpencęus [d] *conuiuialem iocum* appellet, fabuliſque annumeret, cum S. Bonauentura [e] explicatè id prodat tanquam rem geſtam, & exprimens S. Gregorium addat; dum benè pœnaliter arſit foris, ardorem interiùs ſic extinxit libidinis, vt deinceps tale aliquid minimè ſentiret. *Arſiſſe* S. Franciſcum in tanto frigore dixit, quia etiam frigus *vrere* dicitur; Iuxta illud Taciti [f] ambuſti multorum artus, vi frigoris. Et illud Curtij. [g] multos exanimauit rigor inſolitus niuis, multorum aduſſit pedes. Legeſis alia loca non pauca apud Dauſqueium. [h] Exuſtus ergo dicitur S. Franciſcus, & arſiſſe prę niueis ample-

[a] lib. de vita curat a. 69.
[b] lib. 5. de cōtin. cap. 11. 12. 13.
[c] lib. 2. dialo. c. 2.
[d] capite illo 13.
[e] capite 5. vitæ.
[f] lib. 19.
[g] lib. 7.
[h] ad orat. 26. Baſilij Seleu.

Digitized by Google

amplexibus; ſicut S. Benedictus præ volutatione in vepreto ac Senticeto. Alij in eundem comprimendæ carnis finem, alia cruciatiua ſibi admoue unt, non modò flagella aut cilicinas veſtes, ſed etiam ferrea inſtrumenta corpus acerbè compungentia, ita vt plerumque in clamorem præ doloris ſenſu erumperent, quod à quodam Epiſcopo ſua ætate factitatum, Gulielmus [a] Pariſienſis notauit, poſſentque de alijs alia proferri ſimilia.

[a] l. de tēt. & reſiſt. c. 4. rem. 11.

3 Quia verò ignis eſt aliquid ſummoperè acre, & de vi cruciatiua corporum nulli concedens, vt propterea Gymnoſophiſtæ minanti Alexandro vt ſcribit Clemens Alexandrinus [b] temnere ſe dixerint, ſummam omnium pœnam viui comburium, non niſi atrociſſimis quibuſque ſceleribus conſtitutum: & in ipſa Scriptura diraquæque & maximè cruciantia, *ignis* nomine denotentur, vt S. Auguſtinus [c] obſeruauit, [fusèque confirmat Catharinus [d] idcirco S. Antonium admoto igne pedibus ſuis, carnem laſciuientem repreſſiſſe, ſunt qui teſtentur; idque innuere ignem ad pedes eius iacentem, ea narratione ſnppoſita; haud inanis eſt coniectura. Idque ſpectaſſe videntur, qui imagines typi mollioris nuper vulgarunt, quibus S. Antonius pedibus ignem calcans exhibebatur. Qui tamen remedium illud reſtingnendo carnis ardori à S. Antonio vſurpatum ſcriptis prodiderit, antiquorum nullus occurrit. Quanquã

[b] 4. ſtrō. cap. 4.

[c] in Enchir. c. 68 & q. 9. in Ioſue.

[d] lib. de bonor. præmiſſis & malì ſupplicìis p. 2.

Digitized by Google

diſertè id habet S. Vincentius in Serm. de S. Antonio. Et ſatis idem inſinuat Iacobus Cardinalis de Vitriaco, deſcribens [a] vitam S. Mariæ Oegniacenſis, cum refert, eam in carnem ſuam ſancto odio concitatam, ob adhibitas per ægritudinem carnes in cibum, cultello admoto non exiguas ſibi reſecuiſſe carnis partes: Id enim Cardinalis Vitriacus, confert cum eo S. Antonij facto, quo pedes igni conſultò admoto combuſſit, vtique vt carnem, laſciuientem comprimeret, & intra honeſti gyrum contineret.

a lib. 1. cap. 7.

4 Vſi ſanè ſunt eo aſperrimo aduersùs impurum ignem remedio plerique ſanctorum, vt quia *concupiſcentia* (iuxta Siracidem) [b] *velut ignis exardeſcit*, ignis igne, ſimile ſimili, cohiberetur & hebetaretur. Iuuat pauca in eam rem exempla ſubijcere. S. Martinianus [c] referente Metaphraſte, à petulanti Scorto pellectus ad flagitium, cum iam manus daret, tantùmque è cella egreſſus, proſpectaret è vicina rupe num quiſquam deſtinati animo fœdi operis executionem interturbaturus aduentaret, miſerante numine, ad ſe reuerſus; [deſcendens ex petra, inuenit ſarmenta arida: quæ cum accepiſſet, ingreſſus eſt in cellam ſuam, & cum ea ieciſſet in mediam cellam, admouit ignem & accendit ſarmenta. Magna autem flamma accenſa, & in altum ſublata, ſolutis ſuis calceis in medium ignem inſiliens, cœpit comburi toto corpore: & cum valdè eſſet

b c. 9.

c 13 feb.

eſſet ab igne combuſtus, & ei dolerent pedes, egreſſus eſt è fornace, & veluti ſecum depugnans, dicebat; Quid eſt Martiniane? Rectè te accepit hic ignis, qui eſt ad tempus, & hæc acerba pœna? Si potes hæc pati, accede ad hanc mulierem. Ipſa enim, vel potiùs per eam diabolus, ignem æternum conciliat. Non eſt enim hæc cauſa, ſed is qui eam mouit vt impediret bonum tuum propoſitum. Cogita ergo æternum illud ſupplicium ò Martiniane. Hic enim ignis qui eſt ad tempus, & cadit ſub aſpectum, ab aqua extinguitur, & dum ardet, habet lucem: æternus autem ignis, & qui nunquam deſinit, neque vnquam ab aqua extinguitur, neque vllam habet lucem. Angeli qui præſunt ſupplicijs, in puniendo nunquam defatigantur, ſuntquè planè immiſericordes. Cogita hæc omnia ò Martiniane, & ſi ea potes ſuſtinere, accede ad mulierem. Hæc autem dicebat ille ſanctus, ei in memoriam reuocans æternum ſupplicium, cumquè parum remiſiſſet labores, rurſùs ingreſſus eſt, in fornacem, & ſtetit in medio ignis, & valdè combuſtus exijt è fornace, & cecidit humi; Non poterat enim ſtare cum ſe omni ex parte vſſiſſet.] Ea combuſtio & Martiniani ardores repreſſit, & incentrici mulieri ſaluti fuit, vt conſequenter ibidem recitat Metaphraſtes.

5 Admodùm affinis quoad varia adiuncta eſt narratio quæ legitur in Vitis Patrum.

Digitized by Google

Sed quo ad alia multa diſſidet.. Itaque cum fructu exſcribetur. [Solitarius quidam erat in inferioribus Aegypti: & hic erat nominatiſſimus, quia ſolus in Eccleſia ſedebat, in deſerto loco. Et ecce iuxta operationem Satanæ, mulier quædam inhoneſta, audiens de eo, dicebat Iuuenibus? Quid mihi vultis dare, & depono iſtum ſolitarium veſtrum? Illi autem conſtituerunt ei certum quid, quod darent ei. Quæ egreſſa veſpere, venit velut errans ad cellam eius. Et cum pulſaret ad cellam, egreſſus eſt ille; & videns eam, turbatus eſt, dicens quomodò huc adueniſti? Illa autem velut plorans, dicebat; Errando huc veni. Qui cum miſeratione viſcerum pulſaretur, introduxit eam in atriolum cellæ ſuæ, & ipſe intrauit interius in cellulam ſuam, & clauſit. Et ecce infœlix illa clamauit dicens, Abba feræ me comedent hìc. Ille autem iterum turbatus eſt. Timens etiam iudicium Dei dicebat; vnde mihi venit ira hæc? Et aperiens oſtium introduxit eam intrò. Cœpit autem diabolus velut ſagittis ſtimulare cor eius in eam. Qui cum intellexiſſet diaboli eſſe ſtimulos, dicebat in ſemetipſo; viæ inimici tenebræ ſunt, filius autem Dei lux eſt. Surgens ergo accendit lucernam. Et cum inflammaretur deſiderio, dicebat; quoniam qui talia agunt, in tormenta vadunt. Proba ergo te ipſum ex hoc, ſi potes ſuſtinere ignem æternum: Et mittebat digitum ſuum in lucernam.

Quem

Quem cum incendiſſet & arderet, non ſentiebat propter nimiam flammam concupiſcentię carnalis. Et ita vſque manè faciens, incendit omnes digitos. Illa autem infœlix, videns quod faciebat, à timore, velut lapis facta eſt. Et venientes iuuenes manè ad Monachum illum, dicebant; venit hùc Mulier ſerò? Ille autem dixit; etiam: Ecce vbi dormit. Et intrantes inuenerunt eam mortuam. Et dicunt, Abba, mortua eſt. Tunc ille recutiens palliolum ſuum quo vtebatur, oſtendit eis manus ſuas, dicens; Ecce quid mihi fecit filia iſta diaboli; perdidit omnes digitos meos. Et narrans eis quod factum fuerat, dicebat; ſcriptum eſt; *ne reddas malum pro malo*. Et faciens orationem, ſuſcitauit eam. Quæ conuerſa, caſtè egit reſiduum tempus vitæ ſuæ.] Exſcripſi ad longum hanc narrationem, vt ex verietate adiunctorum, conſtaret eam differra à præcedenti, & hunc Monachom, alium eſſe à S. Martiniano.

6 Eodem modo probare licet hunc Monachum diſcrepare à S. Iacobo Eremita cuius geſta exhibet Metaphraſtes 28. Ianuar. quamuis hic quoque, remedium de quo agimus, ad compeſcendam carnis petulantiam adhibuerit; & pleræque circumſtantiæ in eius facto concurrant cum circumſtantijs, narrationis de S. Martiniano & Narrationis de Monacho proximè adducto. Refert ergo Metaphraſtes, cum Samaritæ, omnes nequitiæ ſuæ machinas

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

admouiſſent vt Iacobum magni nominis Eremitam, è ſuis finibus exturbarent, ad extremum ſubornaſſe mulierculam profligati pudoris, eique aureos vicenos in maleficij arrham numeratò dediſſe, mox pollicitos tantũdem pendere vbi in turpitudinis barathrum hominem abſtraxiſſet. Obiuit nefaria mulier magna accuratione quod receperat. Et ſimulans ſe à Monnſterij procul diſſiti Præſide miſſam ad perferendas in Caſtellum quodpiam benedictiones, temporis anguſtijs arctatam, non potuiſſe in monaſterium regredi; & oppreſſam noctis caligine, coactam eſſe ad Eremitam diuertere; primùm ab eo repulſa, & ad mediam vſque noctem aditu excluſa, ad extremum cum perſeueraret clamans, & vrgens diſcrimen vorationis à beſtijs quod ſic excluſæ imminebat; tactus improuida miſeratione Iacobus, frangi duritiam ſuam paſſus, admiſit mulierem in cellæ exteriorem partem, & appoſito illi pane, & aquæ vrceo ſubiuit partem penitiorem ædiculæ, arctè obſerans aditum. Sed poſt aliquantam quietem, mulier pellax atque flexanima, ſimulatis torminibus & cardiacis affectibus opem Eremitæ implorauit. Qui mollitus eius gemitibus, accurrit, & igne excitato ſiniſtram manum admouit flaminis; dextera ſacrum oleum ſumpſit, & molliter ægrę pectori applicans, iugi ſigni crucis efformatione leniebat pectus iacentis; Per tres circiter horas infamis ſcropha ſimu-

ſimulauit ægritudinem ; nec minore temporis ſpatio, Eremita inungens dextra pectus, perſeuerauit. Sed ita vt ſiniſtram conſtantiſſimè eodem temporis ſpatio detineret in flammis, ita vt digitorum compages combuſtæ deciderent. [Hoc ille faciebat (inquit Metaphraſtes,) contra diabolicas machinas militans, ne propter intolerabilem illum dolorem ex ignis flamma proficiſcentem, vlla peſſima cogitatio in eius animum irreperet.] Fœlix Iacobus ſi qua conſtantia huic mulierculæ obſtitit, eadem poſt annos triginta & ampliùs, aduerſus alium Satanæ aſſultum infractus hæſiſſet, de quo aliàs.

7 Alumna quædam B. Brigidæ Scotæ, æquè admotione ignis corporei, ignem concupiſcentiæ repreſſit. Sic enim de ea Autor vitæ B. Brigidę. [Erat inter puellas eius, quędam turpi capta amore viri cuiuſdam, in quem oculos incautè coniecerat; qui illius itidem impuro tenebatur amore. Iamque pollicita erat ſe certo tempore ad illum venturam. Itaque vbi ſenſit Brigidam ſeſe quieti dediſſe, ſurrexit è lecto; & libidinis accenſa flammis, cœpit miro quodam cogitationum tumultu exagitari. Attamen prępotentis Dei & S. Brigidæ timore retenta, obnixè Dominũ precabatur, vt in tanto periculo, tantòque ſalutis ſuę naufragio, ipſi opem ferre dignaretur. Incidit tandem menti eius, ſalubre conſilium: accenſoque igniculo, illi pedes ad-

mouit: ignibuſque extinxit ignem, & ardorem libidinis, corporis dolore ſuperauit.] Glorioſus de ſe ipſa triumphus interuentu ignis, fœlicem deinceps conſtantiam nullis illecebris temerandam exorauit, vt continenter narrant acta.

8 Fœminę nequam in Hiſpania, virum Sanctum B. Dominici Socium atque cognominem, per omne genus technarum etiam per ſacrilegam de peccatis confeſſionem pellicienti ad flagitium, condixit Dominicus tempus & locũ. Sed vt ſe aduerſus impuros ignes muniret [à media nocte inſtar lecti ex carbonibus ignẽ in cella parauerat. Manè ergo pulſante ad oſtium muliere intromiſit eam, vir Beatus, baculòque confricans ignem vt magis igneſceret, mox ſuper viuos carbones ſe depoſuit dicens: Ecce lectus tali opere dignus; hìc cuba mecum, alium non habebis.] Verba ſunt Thomę Cantipratani.[a] Et admodum affine exemplum in Francia ſuo tempore geſtum, recitat Cęſarius.[b] Et quanquam neque illius Dominicani Hiſpani, neque huius Clerici Galli, vel corpus, aut etiam capillos, ac veſtes, auſus eſt ignis tantę caſtimoniæ reuerentia ductus adurere: Tamen aliud eſt, ignem vrentem diuino miraculo cohibitum eorum Conſtantiæ defuiſſe; aliud ipſorum animum deſponſum fuiſſe, ignibuſque ceſſiſſe. Sic ſanè erant comparati animo, vt mallent ardere in ignibus quos vltrò ſubibant, quàm igne

a lib. 2. Apum c. 30. nu. 45.
b lib. 10 cap. 34.

igne impuro deſlagrare. Dignus vterque, cui effrontis lupæ conuerſio, ſupra innoxij ignis miraculum rependeretur, vt reuera fuit repenſa.

9 Referendi ſunt in ſyllabum eorum qui remedium caſtimoniç de quo agimus adhibuerunt, alij quidam, à quibus æſtus libidinis reſtinctus eſt admotione ignitorum. Sic Ammonius Palladio [a] ac Heraclide [b] teſtibus, ad repellendum libidinis feruorem, admoto mẽbris candente ferro, amburebat ſeſe, ita vt perpetuò obſitus vulneribus appareret. Franciſcam Romanam, quam poſtea irretractabile Eccleſiæ Iudicium Sanctis vindicatis adſcripſit, Raphael Volaterranus [c] deſcribens Vrbani V. Pontificium, ait ferocientis carnis laſciuiam repreſſiſſe liquato ſupra ſexum pingui ſuillo; quod vi ardentis flammæ affuſum, & præ materiæ denſitate impreſſionem viuidiorem inferens, acritudine ignea, aut etiam acerbiore amburebat. Dignus eſt qui non reticeatur, egregius Sinenſis Chriſti vineæ palmes, Petrus, è Doctorum ordine, germanus Thomæ atque Vitalis, omnes eodem inter ſuos gradu dignitatis, & amplis facultatibus, quodque potius chariſma eſt, Chriſtianis virtutibus adeò illuſtres, vt primitias ſpiritus in eos cœlitus effuſas, liceat agnoſcere. Quid enim aliud indicat, prodita à locupletibus teſtibus, eorum in Deum flagrantiſſima charitas, adeò in pauperes tanquam

[a] c. 12. Lauſ.
[b] cap 2. paradiſi.
[c] lib. 21. Antrop.

quam Chriſti membra redundans, vt per tempus diræ famis, quæ regnum populoſiſſimum (vt cum Tertulliano dicam) [a] detondit, pijſſimi fratres bonam facultatum partem, viuas opes fecerit, erogatione in pauperes, vt S. Paulinus Pammachium collaudans pronunciabat; ne agrorum quidem diuenditione abſtinentes, ac vxorum monilia & muliebrem mundum oppignerantes, vt eſſet vnde paupertina plebs ſubleuaretur, de quo ſancto argumento omnibus ad ſanctam æmulationem animandis, Thomas librum miro plauſu, etiam ab Ethnicis, exceptum vulgauit. Abripior dulcedine narrationis, quæ refertiſſima ſenſuum pietatis, annuis 1641. literis, pleriſque horum piſſimorum fratrum adiunctis virtutum eximiarum notis, eſt conſignata. Quod ad rem præſentem facit, eſt, *Doctorem Petrum* qui ante annos ferè, ſex contracto in opere charitatis morbo, ceſſit è vita; ſolitum ad cœteras corporis vexationes, quibus ferocientem carnem veluti lupatis frœnabat, adiungere maſſulas odorarias candefactas quarum ignita acritudine ad carnem vſtulandam adhibita, hoſtiam viuam odoris acceptiſſimi Deo puritatis amanti immolaret ſeſe, Sacerdos ſimul & hoſtia, atque altare, vt S. Chryſoſtomus [b] egregiè diſſerit, atque Chryſologus, [c] & quem hîc congruentiùs adduxerim S. Antonius ſcribens ad Arſenoitas.

10 Non huc aduocaui pleroſque alios San-

a lib. de anima.

b in pſ. 95. Chō, 20. in ad Rom. ac 11. in ad Hebr.

c Serm. 108. Ep. 2.

Sanctos, quibus prunæ calcatæ, vel flammarum globi aditi, vel in candenti ſerreo lecto, aut in viuis carbonibus volutatio obtigit. Cuiuſmodi fuit S. Tiburtius, & varij adducti à Roſuedio, [a] excitatam de fide litem, dirimentes calcatione aut ſubitione flammarum. Sed præſertim claruit in eò genere Chriſtina illa, cuius Thomas Cãtipratanus geſta deſcripſit, omnino admirabilia ac (ſi fas eſt dicere) portentoſa. Eam quippè exhibet [b] ardentes clibanos ſubintrantem, & præ doloris acerbitate horrendum immugientem; aliàs verò iactantem ſe in ignes copioſos, aut pedes, vel manus in flammis diu detinentem, aut in caldarium capacius, feruentis aquæ refertum, ad mammillas vſque demittentem ſeſe; & reliquas partes ad quas aqua non peruaderet, affuſa aqua candente abluentem; tanto doloris ſenſu, vt quaſi parturiens clamaret, & cruciatus acrimoniam ingenti eiulatu teſtaretur. Hæc facta Sanctorum, ignem ſibi aut ignea quæpiam admouentium, huc non aduoco: vel enim ad Fidei Catholicæ profeſſionem, aut criminis alicuius ſacrilegi remotionem ſpectabant, vt priora omnia: vel ex ſpiritu pœnitentiæ obibantur, vt quę de Beata Chriſtina attingebamus. Hìc autem agitur duntaxat, de igne admoto corpori, ſtudio tuendæ caſtimoniæ, & reprimendæ carnis laſciuiæ. Quod feciſſe referebam eo animo non paucos, conſentaneè ad factum S. Antonio

ad-

a l. de fide hæretico Seruan. c. 12.

b cap. 6. vitæ.

Digitized by Google

adſcriptum, de aduſtis ſibi per ipſummet pedibus, vt libidinis ardorem reſtingueret, & ignem internum applicito igne externo temperaret. Quam eſſe volebant ignis Sancto Viro appicti, germanam cauſam.

11 Quominùs tamen aſſentiar, & ignem S. Antonio appictum, ſtatuam ſymbolum eſſe ignis corporei ad libidinis reſtinctionem admoti; facit quod S. Athanaſius exactè deſcribens amuleta quibus S. Antonius aduersùs carnis ardores muniebat ſeſe, omnia alia habet. Nimirum profert Ieiunia, vigilias, chameunias, precationem contentiſſimam, & aliàs huiuſmodi pijs hominibus ad carnem contundendam ſolemnes imbonitates. De ignis autem ad pedes admotione planè ſilet. Satis perſpicio, hoc argumentum eſſe ab auctoritate negatiua, atque adeò non modò fore enerue ſi pro eo remedio admoto, viua traditio ſuppeteret, iuxta doctrinam S. Hieronymi [a] talia argumenta in illis adiunctis *ſtraminea* nominantis & exſibilantis: ſed etiã militaturum contra hiſtoriam S. Pauli primi Eremitæ, & alterius Pauli cognomento ſimplicis, quos D. Athanaſius in B. Athanaſij hiſtoria, ſilentio obuoluit: cum tamen res eorum nexæ eſſent cum rebus S. Antonij, & certum ſit non poſſe inſimulari falſitatis, quamuis eas S. Athanaſius præterierit. Hoc admitto; neque tamen euertitur argumentatio propoſita; quia illæ narrationes de quibus *S.* Athanaſius

a in cap. 2. ad Gal.

naſius tacuit, aliunde conſtant, ſaltèmque viua traditione maiorum ad poſteros per manus tranſmiſſa firmantur. At ignis per S.Antonium admotio ad libidinis reſtinctionem, nullam habet aſtipulantem antiquæ famæ aurulam; Ita vt veteres, neque ſcripto, neque viua voce, eam tradiderint, & ad poſteros transmiſerint. Quare illuſtrationem ſymboli de quo agimus, narrationi veteribus prorſus ignotæ implantatam, æquè labare neceſſe eſt, & vt incertam concidere.

§. 4.
Ignem S.Antonio Appictum, videri poſſe ignem Vltorem.

1 IN primis, videbor non inueriſimiliter, nec præter communem de S.Antonio ſenſum pronuntiaſſe, ſi dixero, hunc ignem ſymbolum eſſe pœnarum, quas hic Sanctus de ijs ſumit abſque mora, qui in illum deliquerint, vel interpoſitam eius auctoritatem quoquomodo violarint. Nam cum plerique alij Sancti violantur, tametſi nunquam id impunè accidit; tamen vt plurimùm Deus ad tempus ſuſtinet, & vaſa iræ in aliqua patientia expectat; ſi fortè conuertantur qui auerſi fuerant, & reſipiſcentes euadant Iudicium vltionis. At S.Antonius, non modò is eſt in quem nunquam impune peccatur, vt protrito inualuit adagio, Sed etiam cita vltione

tione inuoluit noxios. cuius agendi modi appoſitiſſimum ſymbolum, & in ipſis quoque ſcripturis frequens, eſt ignis.

2 Iuuat id tantiſper illuſtrare, vt ſymbolo propoſito lux affundatur. Da id pſalm. 77. *ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſrael*. Et pſal 20. *pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis:* Id eſt iuſta & vehemens vltio apprehendet illos. Moſes item in Cantico. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.* Hoc eſt, ſuperſtites in hac vita diris excruciabo ſupplicijs, & in inferno ſimilia inferam, vel etiam duriora. Hebræi iuxta Pſaltem, [a] *deducti ſunt in illuminatione ignis*: id eſt interprete Clemente Alexandrino, [b] in columna, & pœnas intentante, & gratiam demonſtrante. [Ex columna flammam accendit, quod eſt ſimul gratiæ & timoris indicium. Si obedieris, lucem; ſi non obedieris, ignem.] Expreſſit Magiſtrum Origenes. [c] [Deus (inquit) & ignis conſumens, & lumen in ſcripturis dicitur, ignis peccatoribus, lumen ſanctis.] Vtrique præiuerat Philo. [d] Nam ignem in legis promulgatione exhibitum docet, non abſque myſterio; [Quoniam ignis, habet vim geminam, illuſtrandi vrendique; præcepta hęc, obedientibus erunt per totam vitam pro lumine, legibus ceu ſyderibus animæ prælucentibus. Quotquot autem contumaces

a pſ 77.
b in pro. pag. 11.
c homil. 13. in Ierem
d l. in de calo.

maces

maces fuerint, æſtuabunt vrenturque inteſtinis concupiſcentijs, more flammæ totos homines ſemel occupatos depaſcentibus.] Hæc quidem præcipua & prima vltio. Sed neque externa deerit pœna, quam S. Cyrillus [a] egregiè expreſſit, tractans illummet Dei deſcenſum in ignis ſpecie, cum legem ferret, vt intelligerent tranſgreſſores, rem ſibi cum igne fore. Et idcirco addit, cum igne apparuiſſe fumum, non modò ad inſinuandam Dei, ac iudiciorum eius incomprehenſibilitatem; ſed etiam vt conſtaret, ſicut fumus eſt grauis oculis, & ciet lachrymas; ita Dei ac legis latæ contemptores, lachrymaturos. Eandem ob cauſam, interprete poſt Orignem [b] D. Chryſoſtomo [c] obiecta primùm eſt Prophetæ, Virga nucina, cum olla ſuccenſa; vt intelligerent iniqui, quos monitio, & Virga directionis non emendaſſet, pœnæ & ſupplicio fore ſubijciendos.

a Conc. Epheſ. cap. 2.

b in pſ 38. hom 2

c homil. de pœni. & cōtin. tom. 1.

3 Quid multa? Achan reus anathematis violati, & fur ſacrilegus, cum ex Dei ad Ioſue [d] oraculo eſſet comburendus, tamen lapidibus obrutus dicitur. Dei quippè ad Ioſue verba fuerant. *Quicunque ille in hoc facinore fuerit deprehenſus, comburetur cum omni ſubſtantia ſua, quoniam præuaricatus eſt pactum domini, & fecit nefas in Iſrael* Et tamen ſubdit Scriptura. *Lapidauitquè eum omnis populus*. Num Ioſuè contempſit diuinam in Achanem Sententiam? Et quem Deus combu-

d Ioſue 7.

buren-

burendum edixerat, lapidatione interfecit? Fruſtra ſe in hoc nodo expediendo contorquent Interpretes; his admiſtum lapidationi incendium; cum Caietano [a] & Vatablo; alijs primum igne combuſtum Achanem, poſtea lapidatum, cineribus tumulo è lapidum congerie aggeſtâ obrutis, quod Serario [b] placuit: alijs alia comminiſcentibus. S. Auguſtinus [c] non ſinit vocari in diſceptationem, an Ioſue, vel Dei mentem perceperit, vel exquiſitè ſit executus. [Vnde (inquit) magis quærendum eſt, cur *lapidationem* ignem appellauerit Dominus, quàm credendum, Ieſum aliud feciſſe quàm iuſſerat Dominus. Nam neque ad intelligendum verba Domini, quiſquam potuit eſſe ſapientior; neque ad faciendum quiſquam obedientior. Proinde *ignis* nomine pœnam potuiſſe ſignificari, ſcriptura teſtis eſt in Deuteronomio, vbi dicitur ad filios Iſrael; *Et eduxi vos de fornace ferrea*, ex Aegypto, vbi vtique, duram tribulationem, intelligi voluit.] Et mox. [ſi peccatum eius Dominus tale eſſe iudicauit quod ſupplicio illo expiatum non puniret in æternum, propter ipſam expiationem & purgationem, congruenter illa pœna, *ignis* nomen accepit. Neque ad hunc intellectum quiſquam tendere admoneretur, ſi eum propriè viſibilis ignis exureret, ſed in eo quiſque remaneret quod apertè videret impletum, ne aliquid vltra quæreret. Nunc verò cum propter Dei verba,

a ad eũ locum.

b in cap. 7. Ioſue, q. 29.

c q. 9. in Ioſue.

Digitized by Google

ba, & factum Ieſu à quo præuaricari illa verba non poſſunt, rectiſſimè dicitur, etiam lapidationem ignem fuiſſe; eleganter agnoſcitur, hominem ne in poſterum peccato illo interiret, fuiſſe purgâtum. Quod ſignificant etiam vaſa in Leuitico, quæ iubentur igne purgari.]

4 Itaque pro explorato habet D. Auguſtinus, lapidationem; quia vltio eſt ac pœna; dictam fuiſſe à Deo *ignem*; & in ſcriptura *ignem* pro quouis ſupplicio vſurpari. Id quod manifeſtum præterea eſt, ex Daniele; [a] apud quem impij ſenes Suſannæ criminatores, talionem pœnæ in cuius diſcrimen innoxiam mulierem adduxerant, exceperunt obruti lapidibus: Qui tamen apud Ieremiam, [b] (vbi de communi Hæbreorum ſententia, adſcriptis S. Thoma, Hugone, & Lyrano, eadem hiſtoria attingitur,) dicuntur *combuſti*. Inſuper Thamar turpitudinis comperta, iubetur produci vt comburatur; id eſt vt morti dedatur in pœnam; combuſtione vniuersè vſurpata, pro quocunque ſupplicio, vitam eripiente. Neque enim fornicatio cuius rea habebatur Thamar, viuicomburio aut incendio plectebatur. Itaque in omnibus his locis; *ignis*, pœnam & vltionem inflictam ſonat, etiamſi cruciatus non inferatur per ignem propriè ac ſimpliciter dictum: ac proinde *ignis*, & *combuſtio*, vniuersè, pœnam & vltionem quamcumque ſæpè ſignificat.

a Cap. 13

b Cap. 29

Digitized by Google

5 Hæc igitur videri poteſt non incongrua ratio, appicti S. Antonio ignis. Nam nihil ad iuſtam vindictam promptius, nihil (vt ſic dicam,) magis flammeum, & igni concipiendo accommodatum. Et quod non parum ad rem facit, pœna, vltore S. Antonio ijs qui in illum deliquerint irrogata, vt plurimum eſt incendij rerum, vel caumatis & aduſtionis perſonarum. Notatum id frequenter, in eis qui res S. Antonio dicatas, per iniuriam aſportarent; vel qui iuramentum ad eius imaginem aut ſacras reliquias conceptum, tranſgrederentur. Protinus enim diuina vltione arripiente nefarios, diris ſacri ignis vltionibus corripiuntur vt de ſua ætate, hoc eſt de ſuperiore ſeculo ſcribit Aymarus Falco. [a] Pauca exempla ſigillatim producere, non erit inutile.

a 1. par. hiſt. Ant. cap. 48.

6 Balacius qui ſub Neſtorio Alexandriæ præfecto dux Aegypti fuit, præ æſtu Arriano quo furebat, Virgines ſacras monachoſque nuditate dehoneſtabat, & publicè verberibus mulctabat. Intẽtauit B. Antonius datis ad eum literis, celerem Dei iram ni abſiſteret impijs cœptis. Ille pro ſalubribus monitis minas repoſuit, quibus ipſi quoque B. Antonio denuntiabat flagella; literas verò, ſputis conſpurcatas abiecit, & tabellarios à Sancto Viro ſubmiſſos, iniurijs cumulauit. [Sed confeſtim (ait S. Athanaſius) minitatorem oppreſſit ſupplicium; & intra quinque dies, os effre-

effrenatum vltio diuina compeſcuit:] ita vt omnes agnoſcerent, celerem vltionem diuinitùs, contemptori beati viri eſſe repenſam. Morſu enim repentino equi antea manſuetiſſimi decuſſus in terram, & ab eodem ex parte laceratus, igneo ardentequè ex morſibus affectu laborans, infelicem animam in Tartarum mox euomuit, ad ignes æternos amandandam.

7 Hiſtoriæ Florentinæ inſertum lego, Gregorio XI. ad Eccleſiæ clauum ſedente. Cæſenæ in Italia, Britonum copias militari licentia ac furore, multa patraſſe. Quod verò vel relatu horrendum eſt, è militibus illis vnus, Dæmonis corporati, aut ſi quæ alia tetrior eſt, appellatione dignus, in direptione Vrbis ingreſſus Eccleſiam, paruulos aliquot; (proh rabiem immanem:) ſuper ipſam ſacram aram truculenter mactauit. Nec contentus in innocentes bacchari, etiam S. Antonium cui id altare ſacrum erat, in ipſius imagine appetijt. Cruentum enim gladium, & agnorum illorum ſanguine madentem, furore ebrius, in Sancti Imaginem ſtrinxit. Nec mora; confeſtim in ipſo ſacrilegij horrendi æſtu, correptus igne ſacro, viuus intolerabili cruciatu toſtus, ardoribus quos patiebatur leuamen quærens, ad mare feſtinus cucurrit; & aquas ſubiens, ſalſedine dolores exacuente, & ignes intimos proritante, totus cum oſſibus abſumptus eſt ab igne de-

Digitized by Google

a 1. par. hiſt. Ant. c. 47. paſcente. Affine eſt quod Aymarus [a] ſupra, ſua ætate contigiſſe narrat apud S. Dyoniſij Burgum, haud procul Placentia. Hic ſiquidem, Gallici exercitus miles quidam, ſuæ temeritatis pœnas luit, igne ſacro miſerabiliter exuſtus, ſpectante hoc ipſum numeroſiſſima eiuſdem exercitus parte.

8 Deſcripſit quam ſubijcio vltionem, eiuſdem æui ſcriptor, Franciſcus Picus; [b] referens, militem quendam cum ligna è S. Antonij templo furatus eſſet, & monitus de reſtitutione, adiecíſſet horrendam blaſphemiam inter conijciendum ligna in ignem, dicens; ſi adeſſet ipſe Antonius tantundem in illum præſtarem; illicò diuinam ſenſiſſe iram, ita vt finitis verbis, caro eius exarſerit, & in terram deuolutus animam exhalauerit inter horrendos cruciatus. Hoc Picus teſtimonio hominis qui expiranti affuerat confirmat, à quo ipſe rem accepiſſet. Ait verò ſe decennio poſt, cum iſta chartis committeret, oſſa pro templi foribus ſuſpenſa ad memoriam, conſpexiſſe. Pars longi carminis, quo S. Antonium celebrauit optimus Princeps, huc bellè cadit. Sic enim habet, attingens hanc in impium vltionem.

b Ad ſuũ hymnũ ſecendũ.

Non ego Alcidas ficta poſt prælia Phlegræ
Fulmine deiectos, Capanei aut impia dicam
Ingentis telo fumantia tela triſulco;
Vidimus ambuſtos artus, atque oſſa perenni
Exem-

Digitized by Google

Exemplo ad poſtes ſacri pendentia templi.
Vidimus integrũ conſumpta carne cadauer.
Quod ſubitò exarſit violato nomine magni
Antonij ſubitòque imis incendia venis
Traxit, vt enormi prompſit conuitia lingua.

2 Sub idem tempus, hoc eſt anno 1537. periurus D. Antonij contemptor, ſubitam Dei iram expertus eſt, quod declarat tabella Romæ in templo B. Antonij collocata, hominis ardentis imaginem exhibens, hac ſubiecta epigraphe. *Marcus Brixianus miles, admota aræ D. Antonij manu, periurus, vltore numine, igne correptus, moritur Idibus Auguſti anno* 1537.

10 Subijcio verba Vvillelmi Lindani, de impietate perditi Caluiniani, in S. Antonij Imaginem, & ſubita Dei ira in illum nequam [Anno illo Gueuſiaco 1566. Cum per Belgium paſſim, Iconoclaſtæ in venerandas Sanctorum Imagines deſæuirent, Buſcoducis accidit, quoſdam D. Antonij Imaginem concidere, vt incendio via publica abolerent. Verùm quid accidit? Non ſanè impunè tulere impij. Eueſtigio namque, illa peſte, quam D. Antonij iam olim appellamus, Chriſtiani, (quod illi depellendæ ſint eius, apud Deum pij experti ſæpè patrocinium,) corripiuntur: totòque vtriuſque corpore, inſtar granorum piperis peſtilens ille ignis ebullit. Domum ſe recipiunt infœlices, quorum plaga ſocij deterriti,

Digitized by Google

territi, rogum deſerunt trepidi. Tam atroci atque voraci conſumebantur miſeri totum per corpus incendio, vt poſtridiè impiam efflarint animam, & funeſta reliquerint cadauera, variorum colorum ſtigmatibus, cœruleis, praſinis, atris, inſignita. Iſtud tam eſt vicinis notum, vt plurimos huius rei non tantùm audierimus concorditer hiſtoriam ad viuum depingentes, additis, etiam tam ſacrilegorum quàm familiarium nominibus; ſed publici etiam viderimus Notarij, fide non indigni, neque obſcuri teſtimonium.]

Non eſt prætereunda narratio in eandem rem, ex vulgato Lutetiæ libello ab eodem Lindano exſcripta, ſimplici quidem ſtylo, ſed à fucis alieno, & veritatem ſpirante. [Anno Domini 1576. 11. Iulij; dum Dux Alenſonius Frater Regis Franciæ; eſſet in Vrbe Caſtillon, & excubiæ pedeſtrium copiarum in villa, quæ dicitur *Saulli*, à dicta Ciuitate vno plus minùs milliari diſtante, agerentur; tres milites malè feriati, deprehenderunt præ foribus Imaginem B. Antonij in petra erectã; ac poſt multa ſcandala, ludibria, & dicteria in eam congeſta, caput quidem Imaginis Galea, manus verò armarunt hallebardia; talia cum execrandis blaſphemijs euomentes: *Tu, ſi quid vales, ſi qua tibi poteſtas, in præſentiarum nunc eam demonſtra contra nos, ac te defende*. Quo dicto, ſuis armis Imaginem impetunt multis ictibus. Quibus non contenti, vnus

vnus eorum bis, aut ter diſploſa Bombarda, Imaginem illam oppugnare aggreditur; ac eius faciem, inter mentum, & inferius labrum iaculatus, globulo tormentario lacerat ſacrilegus. At non impunè; nam eodem momento, ille impius, magno eiulatu exclamans, horridumque eiulans, *totus* (inquit,) *ardeo totus comburor*: ſtatimque prolabitur mortuus in terram. In cuius facie, eodem loco, vbi Imaginem globo violarat, vice reddita, Ignis ſcelerum vindex, qui totum inde os replebat, velut via facta erumpens, perluxit eum deuorans, etiam cum iam exhalaſſet animam. Secundus non minùs ſentiens Dei Omnipotentis manum, exclamat quoque, ignis vim ſe ferre non poſſe: volenſque inteſtina tormenta per aquam effugere; in torrentem proximum præceps inſilijt; nec Dei tamen præſentiam effugit. Nam ſtatim aquis ſubmerſus, & ſuffocatus interijt. Porrò tertius cernens ſociorum miſerabilem exitum, ſui impos ac totus exanimis, humi affligitur, ac deportatus in proximam domum, totus feruentiſſimis febribus æſtuabat, adeòque violentis, vt miſerum de ſe ſpectaculum omnibus exhibueret; cuius miſeria permoti cognati, (amici maximè, & Commilitones Catholici,) ad templum, velut ad Aſylum confugere: Deo patri (Sacerdote perquiſito,) ſacrificium Mediatoris, ſolemni cantu coram imagine B. Antonij immolare; ac vnanimiter cateruatim proruentes, tam

milites quàm dicti loci Incolæ, Deum ſumma animi deuotione pro miſeri fratris ſalute comprecari; poſtque ſacrificium & multas preces, afflictum inuiſere, præmiſſiſque multis alijs orationibus, aquam ei benedictam Sacerdos aſpergebat. Eueſtigio ille miſer ſibi redditus, crimen agnoſcit, Dei miſericordiam inclamat, ac manus tendens in Cœlum, humilibus, ac magnis precibus ſuum errorem profeſſus, accuſauit, omnes deprecationes ſupplex ambit, vt pro ipſo Deum clementiſſimè interpellent. Nec defuit diuina miſericordia. Nam ſtatim priſtinæ valetudini, ac menti reſtituitur, eaque etiamnum hodie fruitur. Hæc veraciter & ſub oculis pluſquàm trium millium hominum palam geſta docent, quam reuerentiam venerandis Sanctorum Imaginibus debeamus,] & ſcilicet citum in B. Antonij violatores ſupplicium.

12 Quis faſtidiat nonnullam narrandi prolixitatem, vnde numini gloria, & viro ſancto ex caſtigata impiorum malignitate decus accreſcat? Itaque neque illud in hanc rem ſilebo, quod eſt à Tilmanno [a] Brendebachio ſcriptis conſignatum his verbis. [Publico multorum Sermone, editiſque ſcriptis conſtat, atque etiamnum hodie ſuperſtites ſunt viri fide digniſſimi, qui nobis retulerunt, eo ipſo tempore cum Geuſij in Belgio tumultuarentur, & Guillelmus Comes Montenſis, Aurangiæ Principis Guillelmi Sororius, Mona-

a Lib. 3. collat. ſacrar. c. 27

naſte-

naſteriumFranciſcanorum propè Embriacam, ab eiuſdem Comitis maioribus, (vt fertur) quondam religiosè fundatum, demoliretur; (cuius demolitionis per menſes aliquot ſucceſſiuè durantis, poſtremos actus ego ipſemet vidi,) quendam hominem nouis dogmatibus dementatum ſuperueniſſe, & omnibus iam ſtatuis, Imaginibus, & Altaribus, vaſtatis & exturbatis, inueniſſe adhuc reſiduam ibi ſtatuam D. Antonij, quam iſte protinus proterua manu corripiens, in terram colliſerit, pedibuſque conculcauerit, & quibuſcunque poterat modis exagitauerit. Euenit autem, vt fortè aſſiſteret mulier Catholica, quæ hominem compellans, ait, *Quid in te peccauit D. Antonius, quod ſtatuam eius, tam indignè exagitas?* Ille protinus in proteruam hanc vocem prorupit; *Quid tu mihi obſtrepis de Sancto Antonio?* Si quam ille vim aut virtutem habet, eam declaret. Nec mora. Iſte in Sanctum blaſphemus, igne Sacro, quem vocant Diui Antonij, corripitur; totòque corpore vſtulatur, & tandem ſacro igne totus, Deo vindicante, excarnificatus, animam exhalat.]

13 Exclamare lubet, iſta & ſimilia alia ſubitæ iræ Dei, in S. Antonij violatores exempla audiendo, verbis S. Paulini, a [O Chriſti ineffabilis bonitas, quantum in ſuos oſtendit affectum! Iniuriam Confeſſoris ſui non tulit impunitam, qui ſuis crucifixoribus ro- a Epiſt. 28.

gauit

gauit ignoſci. Contumeliam martyris ſubitò vltus eſt, qui paſſionem ſuam noluit vindicari.] Agebat de S. Victricio Rothomagenſi Antiſtite Paulinus, & in eam admirationem prorupit, audiens percuſſum confeſtim cœcitate fuiſſe carnificem, cum ad pœnam ducens Athletam Chriſti; ceruicem eius licenter attrectaſſet, quaſi ictus ſui locum, præcurrente gladium manu, palpans atque deſignans. Quidni nos quoque, in tam ſubita, tamque feſtina hoſtium B. Antonij multatione, ijſdem tangamur affectibus? In eaſdem voces admirabundi ſimul & gratulabundi erumpamus? Renouatum eſt Sancti huius Viri occaſione, in paucis, exemplum irati Dei; quo Angelus vltor, numeroſiſſimum Sennacheribi exercitum, vna nocte intimis flammis deleuit. Comprobatum his factis eſt illud Iſaiæ. [a] *Mittet dominator Dominus exercituum, in pinguibus eius tenuitatem, & ſubtus gloriam eius, ſuccenſa ardebit, quaſi combuſtio ignis. Et erit lumen Iſrael in igne, & Sanctus eius in flamma.* Inſigne ſanè & luculentum diuinæ vindictæ in blaſphemum Regem ſpecimen fuit, cum tam breui ſpacio, quantum eſt vnius noctis, Angelus Domini centum octoginta quinque millia Aſſyriorum blaſphemorum, qui priùs toroſi & pingues erant, cœco igne conſumpſit, illæſis veſtibus & armis, vt S. Hieronymus ex Hebræorum traditione recitat. Potuit ad æquè multos, in ſerui ſui B. Antonij

a Iſaiæ 10.

nij gratiam, porrigi diuina vltio, ſi totidem in illum egiſſent malignè ac impiè. Nunc quia pauci peccauerunt, [exempla ſunt omnium, tormenta paucorum] vt Cypriani [a] verba huc accommodem. Et in paucis his blaſphemis ſanctificata eſt pœna; [quia per eos exemplum datum eſt cœteris, quo timerent.] Sic enim B. Auguſtinus, [b] verbulum à Spiritu Sancto ſuggeſtum, circa ſupplicium ſubitum profanorum miniſtrorum, enucleauit.

a Lib. de lapſis.

b Q. 10. in Num.

§. 5.

Non abhorrere à vero, ignem S. Antonio appingi, tanquam belli ſacri, & Religioſæ Militiæ pyrphoro.

1 ALiam admodum congruentem ignis B. Antonio appicti notionem, ducere licet, ex eo quod S. Antonius legis nouæ ſecundùm Chriſtum, quaſi ſignifer fuerit. Hoc vt perſpiciatur, & referta gloriæ S. Antonij cogitatio educatur, præmittendus eſt vſus veterum, cuius meminit Euſtachius ad librum Iliados duodecimum; exponens quoſdam Poëtæ verſus de præcedente exercitum ignis geſtatore, id quod aliunde quoque illuſtrant qui agunt de veteri militia. Sed nobis ſat eſt Euſtachius.

Teſtatur enim morem priſcis fuiſſe, vt vates aciem præcederet laureatus, & ignem geſtans. Hic vtrique parti ſacer erat, adeò vt illum vio-

violare, neſas apud vtramque aciem haberetur; nec poſſet abſque immani placulo, in hominem adeò ſacrum vibrari gladius. Vnde ſi horrendam aliquam ſtragem ſignificare vellent, in qua per omnium iurium conculcationem crudeliſſime ſæuitum eſſet, prouerbio iactabatur, *nullus eſt ſuper, ac ne ignifer quidem*. Sic Euſtathius aſtipulante Suida in voce *pyrphorus*. Eſt & perinſignis in hanc rem locus apud Xenophontem. [a] Repetam (inquit) quonam Rex pacto copias educit. Nam primùm domi ſacra facit Ioui ductori, alijſque cœleſtibus. Quod ſi hic litarit, accipiens fœcialis, qui *pyrphoros* à ferendo igne appellatur, ignem ex ara, præcedit ad Regionis vſque confinia, vbi Rex rurſum Ioui Mineruæque ſacrificat. Cum his verò duobus dijs litatum fuerit, tum demum Regionis fines tranſit, & ignis ab his ſacrificijs ſemper perpetuus antecedit.]

a Sub finem lib. de Rep. Lacedæmoniorũ

2 [Hæc Græcis ſeruata, multo magis apud Perſas locum habuere, qui ignis erant ſtudioſiſſimi cultores, ita vt quod Procopius [b] teſtatur, prælia inituri, ſacrum ignem altaribus argenteis præferrent, Magis aſſectantibus, ac Epheborum honorariorum trecentorum ſexaginta quinque caterua puniceis induta veſtibus, quibus æternus ille ignis (ſic enim vocabant, Curtio [c] ac Strabone teſtibus) ſtipabatur, veluti proprio Satellitio. Verùm de Perſarum circa ignem ſacrum ſtu-

b Lib. 2. de bello Perſico.

c Lib. 4. de rebus Alex.

dijs,

dijs, deque ea ſtultitia, qua igni pabulum ſuggerentes, acclamabant, *Comede Domine*, præter antiquos, ac nominatim Maximum Tyrium [a] Strabonem, [b] Diodorum Siculum, [c] a Ser. 38. b Lib. 15 & admiratione & ſtupore præ tanta inſania defixum S. Chryſoſtomum. [d] accuratè Recentiores duo, Briſſonius, [e] & Scacchus. [f] Huic tamen non ſubſcribo quoad Prytaneum, quod putat fuiſſe templum æterni *ignis* apud Perſas; vel ignis ſacri cuiuſuis apud Græcos. At hoc falsò dicitur. Aliud quippè erat *prytaneum*, aliud *pyratejum* vel *pyreium*. In prytaneo, habebant Iudices cœtus ſuos, & ibidem publicè alebantur qui erant de Republica benemeriti; quæ longiſſimè abſunt à ſede aſſeruati ignis, dicta nomine *pyrateion*, vel *pyreion*. Sed hoc obiter. Has ſacrilegas ineptias Perſarum, nunc in prelijs duntaxat ſpectare habemus. Præferebant enim in prœlijs ſacrum ignem, vt monſtrat illa Darij ad milites in prælij procinctu adhortatio [g] [per ignem æternum qui præfertur altaribus.] Aequè Claudianus, [h] penetralibus adytis (*pyreia* & *pyraſteia* paſſim vocant, qui res Perſicas attingunt,) eductum ignem ſacratum, à Perſis bellum ſuſcipientibus, confirmat.

c Lib. 17. d Hom. 12. in ad Epheſ. e Lib. 2. de regno Perſ. f Lib. 1. Satr. Elech. c. 9. g Apud Curtium lib. 4. h Lib. 1. de laud. Stilico.

Priſcum hunc vſum præferendi ignem in prælijs, ſanctificauit Chriſtus Dominus, *Summus noſtrorum caſtrorum Imperator*, (vt Euſebius [i] ſcitè vocauit) verèque *Rex Virtutum*, id eſt *exercituum Domini ſupremus ductor*.

i Or. de laud. Cōſtant.

ductor. Is profeſſus bellum acre, & atrox ab ſeſe ſuſcipi contra ſpiritualia nequitiæ, pyrphorum prœlij ac igniferum, delegit B. Antonium. Quamuis enim ipſe primariò, id munus à ſe obeundum confirmauerit, verbis illis ſolenniſſimis, *Ignem veni mittere in terram*, quæ in ſermone de bellis ibi per Chriſtum inſtituto, haud malè quis ad priſci vſus pyrphororum ſanctificationem referat, fauente Tertulliano; [a] tamen quà benignitate reliquos titulos cum ſeruis ſuis voluit eſſe communes, vt S.S. Ambroſius, & Nazianzenus animaduerterunt, eadem S. Antonio *igniferi*, ac *pyrphori*, munus ac titulum adſcripſit.

a Lib. 4. contra Marc. c. 29.

3 Nec dum ſatis liquet, quo collimet oratio. Itaque præmittendum eſt ex B. Chryſoſtomi [b] doctrina, ſtatum capeſſentium perfectionem, quos à præcipuo diuini cultus, & religionis ſtudio *Religioſos* appellamus, re ipſa aliud non eſſe, quàm caſtra quædam & acies, in prælium contra Dei hoſtes nobis internos, ac externos diſpoſitas. Componit imprimis S. Chryſoſtomus Religioſos receſſus cum caſtris: & ex eo quod in caſtris non ſit locus ędificiorum ſtructuræ, vel negotiationi, aut agriculturæ, alijſque mundanæ vitæ curis, ſed in diem vita exigatur, quod ipſum eſt Religioſorum inſtitutum; Religioſam vitam cum militia, Religioſos autem cum militibus prælia Domini decertantibus, ſcitè componit. Reſumit vero poſtridiè, eiuſdem argumenti tracta-

b Hom. 70. in Matth.

tractationem, ex qua nonnulla placet libare, hucque transferre ad illuſtrationem negotij in quo verſamur. [Videamus (inquit) etiam hodie, ſpirituales illos exercitus. Videamus voluptatem ab omni trepidatione liberam. Non etiam cum lanceis, vt ſcutis milites caſtra metantes. (In his enim caſtris pridie orationem abſoluimus:) nec cum ſcutis, & galeis, ſed nudos omnium harum rerum conſpicies: opera verò eorum ſic ardua intuebeberis, vt ea ne cum armis quidem alij facere queant. Quos ſi aſpicere vis, manum mihi porrige, Eamus ambo ad hæc prælia, & cernemus inſtructas eorum acies. In prelio enim quotidiè ſunt, cum quotidiè aduerſarios ſuos, inſidiantes nobis cupiditates mirabili victoria fundant, & fugent, humique proſternant. Ita illud Apoſtoli opere demonſtrant: Quoniam, *qui Chriſti ſunt, carnem ſuam cum paſſionibus atque concupiſcentijs crucifixerunt.* Conſideraſti quanta multitudo hoſtium, mucrone ſpiritus confoſſorum iaceat. Non eſt enim ibi ebrietas; non eſt ibi ſuperfluitas. Quod menſa illa facilè oſtendit; iacet enim ibi, aquæ potu peremptа temulentia; multiformis hæc & multiceps beſtia. Nam quemadmodum Scylla & Hydra apud Poëtas, ſic & ebrietas multis capitibus armatur. Hinc enim fornicatio, hinc Ira, hinc Mollities, hinc turpes amores oriuntur. Hæc igitur omnia, ſuperata ibi, proſtrataque ſunt. Quibus

ſecu-

Digitized by Google

ſeculares hi milites, etiamſi multa Bella confecerint, facilè ſuperantur. Nulli enim enſes nullæ haſtæ, nihil aliud huiuſmodi, aduersùs ea capita temulentiæ poterit obſiſtere. Sed Gigantes ipſi ac fortes viri, qui mille præclara geſſerunt facinora, abſque vinculis, vino,& ſomno ligari, ſinè vinculis quaſi confoſſi iacent. Imo verò, priùs etiam quam confoſſi. Nam illi quidem, & ſi progredi non poſſunt, vident tamẽ atque intelligunt. Iſti verò etiam mente capti, omni ſenſu carent. Vides excelſiorem atque præſtantiorem hunc exercitum eſſe, qui voluntate ſolùm eos hoſtes fugant, à quibus iſti ſuperantur? Nam cum matrem vitiorum omnium debilitent, ac eneruent, adeò vt turbare non poſſit, reliquà quoque vitia, matre ac capite obtruncato, in eis ſepulta ſunt: qua quidem victoria ſinguli eorum potiuntur. Non enim quemadmodum in alijs pugnis, qui ſaucius eſt, quod ſemel ceciderit, alijs grauis eſſe non poteſt; ita & hic fieri ſolet: ſed neceſſe eſt, vt ab omnibus hæc Bellua feriatur. Nam niſi quis percuſſerit, atque deiecerit, Impetum illius euitare non poteſt. Vides præclaram victoriam. Nam ſinguli eorum illud Tropheum erigunt, quod totius Orbis armati milites ſtatuere nequirent. Omnia igitur iacent, quæ temulentia gignere ſolet, verba ſtolida, mens furioſa, ſuperbiæ ſtatus, cœteràque huiuſmodi. Suum enim probè iſti milites Imperatorem ſequuntur; quem admirando

ſcrip-

ſcriptura dixit, *de Torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*.

4 En quomodo Religioſi iudice Diuo Chryſoſtomo, exercitum aduersùs Satanam & ſuccenturiata ei vitia conflant. Odo item Tuſculanus, adductus in editis a Tilmanno allegorijs ad illud Geneſos 32. *Caſtra Dei ſunt hæc*, concinnè & eleganter in eo argumento verſatur; monſtrans Militiæ, & Religioſæ domus analogiam, ibidem obiter à S. Brunone inſinuatam. In eandem ſententiam videri poteſt S. Baſilius ſcribens ad filium ſpiritualem & Regula Carmelitanorum cap. 12. Cui necdum iſta ſatis fuerint, ad perſpiciendum Religioſæ vitæ cum Militia, & Religioſorum cum Militibus contentionem; habet quem adeat, abundè æquè ac particulatim iſta proſequentem, lectione ſacra prope integra Delrium.[a] Et pulchrè quoque excurrit in eo campo Petrus Bleſenſis.[b]

5 Huius igitur ſacri exercitus phyrphorũ ac igniferum, B. Antonium qui omnibus copijs præiuerit, Iure dixerim: Quæ poteſt eſſe non incongrua ratio, appicti eius Imaginibus ignis ſacri. Quod aſſumo, S. Antonium omnibus Religioſorum copijs præiuiſſe, de cęnobitis intelligo. Nam tametſi ab initio plantatæ Chriſtianæ fidei; habuit Eccleſia Dei Religioſos; quod eruditi recentiores, Platus [c] ac Suares,[d] monſtrarunt, & alibi quoque tractare memini, proſequens initia prima Apoſtaſiæ in Ec-

a p. 3. Marial. lect, 6.

b Ep. 54.

c Lib. 2. de bono ſtat. Rel. ca. 20. & 21

d tract. 7. de Reli l. 3. c. 2.

cleſia Chriſtiana: tametſi item ante S. Antonium, Paulus Thebæus eremum incoluerat; tamen qui primus copias monaſticas eduxit in Satanam,& cœtibus Aſcetarum Sanctorum præfuit, B. Antonius eſt habendus. Quod volunt tabulæ Eccleſiaſticæ Aegyptiorum, in quibus 22. menſis Tybi, dicitur. *Hac die, requieuit Sanctus iuſtus, ſtella deſerti & Pater omnium Monachorum Magnus Antonius*. In Calendario Maronitarum ea die, idem habetur, niſi quod pro *ſtella deſerti* legitur *ſtella terreſtris*. Eadem ratione ſuffragatur [a] S. Hieronymus, qui hanc rem agitans, & alias aliorum ſententias proferens,addit; [Alij autem, (in quam opinionem vulgus omne conſentit) aſſerunt, Antonium huius propoſiti fuiſſe caput; quod ex parte verum eſt: Non enim tam ipſe ante omnes fuit, quàm ab eo omnium incitata ſunt ſtudia.] Non fuit inquam primus S. Antonius qui eremum incoluit, quod S. Hieronimus ex Amatha & Macario B. Antonij diſcipulis, tunc cum ipſe ea ſcriberet,adhuc ſuperſtitibus; confirmat. Fuit tamen B. Antonius, qui non clam ſed propalam adunauit complures in vnam ſedem ex quibus ſub vno ductore conflati ſunt cœtus Monaſtici; Et primus Monachis in communem vitam adunatis præfuit in Eremo; [a] in qua rectore Antonio Monaſteria floruiſſe, (en communes domos & cœnobia, quicquid dicat Aymarus, [b]) diſertè tradit S.Athanaſius [c], & agno-

a Initio Vitæ Pauli Erem.

b Athan. c.vitæ. c 1.p.hiſt Ant. c.9. c cap.21. vitæ.

Digitized by Google

& agnoſcit etiam Palladius a deſcribens Eulo- a cap. 23 laus.
gij & Mutili diſſidium.

6 Nolo præciſè negare, fuiſſe vlla cœnobia ante S. Antonium. Id enim impugnari poteſt ex Actis SS. Iuliani & Baſiliſſæ: quorum ille, cœnobium decem millium Monachorum rexiſſe ante S. Antonij vitam monaſticam proditur; Sicut Serapion decem millium Monachorum Pater in Arſenoitide fuit, tempore Ruffini teſtis oculati. Baſiliſſa verò dicitur populoſo Virginum ſacrarum parthenoni præfuiſſe. Sanctus item Frontonius in Nitria ſub Antonino, integro ante S. Antonium ſeculo, 70. monachos rexit. Et alia nonnulla exempla monaſteriorum ante S. Antonium occurrunt in actis ſanctorum qui primis duobus Eccleſiæ ſeculis & ineunte tertio floruerunt. Videndi in eam rem Nicephorus b Baronius c atque Suares. d Non igitur contendo, ante S. Antonium nulla prorſus fuiſſe cœnobia. Erant tamen abdita, & adeò pauca, vt poſſent propè nulla cenſeri. Et quæ tunc erãt, nullo colligabantur eiuſdem inſtituti veluti glutine; ſed ſingula erant inconnexa. Primus examina cænobiorum, eaque cohærentia, & ab vno pendentia capite; ac vnius inſtituti, condidit S. Antonius. Et monaſteria accipio in ſenſu nunc recepto; ideſt pro domibus in quibus degunt multi ſub vno capite. Quamuis non rarò inueniatur vox *monaſterij* vſurpata apud priſcos illos, pro domuncula quam

b Lib. 8. hiſt. c. 40
c anno 328.
d tract. 9 de relig. l. 2. ca. 2. n. 3. & 4.

Digitized by Google

vnicus inhabitaret Aſceta; vt benè notauit Poſſinus ad narrationem quintam S. Nili, de cæde Monachorum Sinaitarum, ex ipſo S. Nilo de moribus & Inſtitutis Monachorum agente, & ex S. Athanaſio in B. Antonij hiſtoria, vſurpante ſemel & iterum nomen *Monaſterij*, pro domuncula quam vnicus incoleret Monachus. At nunc de monaſterijs ago qualia nunc eo nomine inſigniuntur, eiſque primum præfuiſſe S. Antonium, hoc eſt multis, & eiuſdem ſui inſtituti, confirmo.

7 Eam adunationem in cœtum, Paulus Thebæus, anterior Eremi incola, non erat aggreſſus. Quin etiam Paulus, quod planè abditus degeret, nec niſi in vitæ meta ſoli B. Antonio innotuerit, nemini verbo aut exemplo auctor eſt factus, calces illidendi ſeculo, & Eremum petendi; ſecedendo á fluctibus mundanis, abſque adunatione in cœtum; quod potentiſſimè præſtitit S. Antonius. Vt propterea S. Hieronymus, Paulum autorem, Antonium Illuſtratorem, vitæ eremiticæ nominet. Sumendo autem *eremum* pro cœnobio (vt frequens eſt grauibus ſcriptoribus, Eucherio, Baſilio, Petro Damiani, & alijs.) Antonius non modò Illuſtrator, ſed etiam auctor fuit vitæ in Eremo exigendæ, cum verbo, tum exemplo. Nam & plurimos ipſe animauit ad huiuſmodi vitæ genus, & in eo iam conſtitutos informauit ſapientiſſimis monitis, vt D. Athanaſius deſcribit, eo commentario quo B. Antonij

tonij res geſtas eſt executus, ad quem ſe refert S. Chryſoſtomus a agens de moribus Monachorum ſub Sancto Antonio. Quantos verò, exemplo ſuo, (quæ eſt muta ſed efficaciſſima prædicatio, teſte S. Gregorio, b & paſſim alijs Patribus,) ad vitam monaſticam amplexandam impulerit, vel vnum euincit exemplum, duorum Aulicorum: qui apud Treuiros vbi tunc diuerſabatur Imperator, incidentes in codicem de S. Antonij Vita, intus ſubitò mutati, nouam vitam parturiuerunt, vt S. Auguſtino narrabat Potitianus; qui affuerat, & hãc primam fuiſſe ſementem frugum Iuſtitiæ in vberi ſolo S. Auguſtini collectarum, magno ipſemet cum ſenſu pietatis deſcribit; profeſſus c ſe tam magnis tamque Inſoletis de B. Antonij Vita à Potitiano auditis, ſtupore fuiſſe perculſum. Nec videtur ambiguum, quin *montes illi ſuaueolentiæ Dei*, (*montes* quippè legendum, non *mores*, vt vitio Codicum paſſim legitur;) & *vbera deſerta Eremi*, quibus nominibus monaſteriorum greges deſignabat Potitianus, ad Antonij exemplum coaluiſſent, ac nominatim Mediolanenſe illud cœnobium, quod ſub nutritore S. Ambroſio optimis inſtitutis ac Sanctis moribus claruiſſe, ibidem narratur.

a homil. 8. in Mathæ.

b 24. Moral. a c. 8 & l. 30. cap. 17.

a 8. conf. cap. 6.

8 **Nec virorum duntaxat fortia pectora, ad Euangelicam perfectionem in Religioſa Vita capeſſendam emolliuit S. Antonij exemplum, ſed & fœminarum. Scribit enim S. Hie-**

a Ep. 16. ronymus collaudans B. Marcellam a [Nulla eo tempore nobilium feminarum nouerat Romæ propoſitum Monachorum; nec audebat propter rei nouitatem, ignominioſum (vt tunc putabatur,) & vile in populis nomen aſſumere. Hæc ab Alexandrinis priùs ſacerdotibus Papàque Athanaſio, & poſtea Petro, qui perſecutionem Arrianæ hæreſeos declinantes, quaſi ad tutiſſimum communionis ſuæ Portum, Romam confugerant, vitam B. Antonij, adhuc tunc viuentis, monaſteriorûmque in Thebaide, Pachomij, & Virginum, & viduarum didicit diſciplinam; nec erubuit profiteri, quod Chriſto placere cognouerat. Hanc multos poſt annos, imitata eſt Sophronia & alię.] Itaque S. Antonius, etiam molliori ſexui, pyrphorus fuit ad bellum ſacrum. Quod autem Pachomij prætere a, & Tabennesiotarum exemplum B. Marcellæ & alijs incitamento fuiſſe dicitur, ad vitam monaſticam capeſſendam, laudes D. Antonij nulla ex parte deterit, quoad rem in qua verſamur; cum ex veſtibulo Actorum S. Pachomij, perſpicuum ſit, eum fuiſſe S. Antonij propaginem.

9 Meritò igitur S. Antonius, Iudice Damaſceno, [b] (vel potiùs apud eum Barlaamo monacho Ioſaphatum informante,) vt *auſpex & princeps vitæ monaſticæ* celebratur; Id ipſumque Aldelmus, [c] ſcabra (vt ſolet,) ſed forti ac emphatica oratione expreſſit, ſic ſcribēs. [Antonius cœleſtis aratri ſtiuarius, & Euangelici

b in hiſt. Barl. c. 12
c l. de S. Virginit. c. 14.

gelici ſeminis ſator, à quo primitus per Aegiptum fertilis Cœnobiorum ſeges germinauit. Vnde poſtmodùm Memphitica tellus quam Nilus reciprocis fœcundat fluentis, millenos animarum manipulos in fructiferis Eccleſiæ noualibus pullulantes protulit; quos Angeli meſſores, (cum figura mundi in ictu & atomo euanuerit, & enormia creaturarum elementa in meliùs commutata claruerint;) ſequeſtratis loliorum faſciculis, in inexhauſta cœleſtis regni horrea cateruatim aduectabunt.] Cur *ſtiuarium* appellet B. Antonium, non eſt obſcurum. Alludit enim Aldelmus ad Chriſti dictum de Euangelica perfectione, atque conſilijs quæ Religioſi profitentur. *Nemo mittens manum ſuam ad Aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt Regno Dei*. Crux enim *Euangelicum aratrum* ſcitè denominatur à Moyſe Abbate apud Caſſianum, [a] quo nos aratro Chriſtus agrũ cordis impigrè ſulcare, & gnauiter proſcindere iubet, in ſpem frugum iuſtitiæ noſtræ, & noxiarum ſtirpium eradicationem. At profeſſores conſiliorum Euangelicorum, Crucem ſuam quotidie baiulare, & ire poſt Chriſtum, tam protritum eſt, vt probare faſtidiam. Neque enim Chriſtus, ad quotidianam & iugem crucis baiulationem excitans, aliud reuera intellexit, quàm vitam ad amuſſim Euangelicorum conſiliorum conformatam, quicquid delirarint ſimplices quidam Monachi apud Caſſianum, [b] qui cortici ver-

a Coll. 1. c. 22.

b Coll. 8. c. 3.

borum intenti, fecerunt ſibi cruces ligneas, quas iugiter circumferebant, non abſque riſu & ſannis prudentum. Igitur S. Antonius idcirco *ſtiuarius cœleſtis aratri*, antonomaſticè dictus eſt, *ac ſeminis Euangelici ſator*, quia crucem religioſæ vitæ prehendit primus, inter eos qui cœnobia incoluerunt, & hoc diuinum ſemen in Eccleſiæ vberi ſolo euaſurum in fruges lectiſſimas, & horrea cœleſtia fœliciter completurum, primus in communi vita excoluit. Quod ſub alia metaphora, recidit in illud decus, quo S. Antonium, dicebam videri exercituum Chriſti lectiſſimorum pyrphorum.

10 Quis vetet, inſiſtendo D. Ambroſij [a] veſtigijs, in hunc ſenſum accipere Dauidem, in perſona cuiuſcunque abijcientis ſeculum, profitentis ſe ſequi lumen lucernæ? Verba Pſaltis [b] ſunt. *Ad me ipſum anima mea conturbata eſt, propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonijn à monte modico*. Horum verborum hanc ecphraſim ſuppeditat S. Ambroſius, quam quòd longiuſcula ſit, excerptis eius Verbis, non exſcriptis attexam. Hominis lubricis ſeculi anfractibus turbati, in cuius perſona Dauid loquatur, eſſe eam orationem pronuntiat S. Ambroſius. Dolet homo ille, quod ad ſeipſum ſit conturbatus, & qui alios ſolari debuerat, aliunde ſolatium emendicare adigatur; quod proinde de autore ſuo ſtatuat conquirere. *Propterea*, (inquit,) *me-*

a Lib. de Interp. Dauid.

b Pſal. 41

memor ero tui de terra Iordanis , & Hermonij . Memor eſt Dei *de terra Iordanis* quod nomen *deſcenſionem* ſonat, quia Chriſtus in Iordanem deſcendit, ſpecie externa profitens ſe peccatorem, cum eſſet candor lucis æternæ, & ipſa Patris ſanctitas, ac figura ſubſtantiæ, luto noſtro miſericordiſſimè adiunctæ. Et nos Chriſti imitatione, lubentes in Iordanem deſcendimus. Iordanis, fluuius eſt de Aepypto exiens, & diuidens terram repromiſſionis. Et quiſquis ſeculum faſtidit, exit de Aegypto, & mediùs eſt inter fluenta ſeculi, & terram fluentem lac & mel: Terram antichtona, vt Stoici, referente Clemente Stromateo [a], cœlum vocabant.

11 Ne Ambroſium hic ieiuniorem habere videar, abſtineo egregia in hanc rem Richardi Victorini diſputatione, qua in exitu Iſrael, hoc eſt Religioſi, de Aegypto ſeculi, fugiẽtis mare & Iordanem conuerſum retrorſum, intumeſcentibus aquis ſuperioribus vſque ad Sartan, & aquis inferioribus deſcendentibus vſque ad mare mortuum, omnino piè ac pro more ſuo acutè, accommodat abiectioni vitæ ſecularis, & aditioni nouæ vitæ per Religioſum. Deſcendimus itaque in Iordanem diuidentem terram, illuc demiſſi Chriſti imitatione, & conſepelimus veterem hominem in illis pœnitentiæ aquis à Chriſto ſanctiſicatis, cum Religioſum Inſtitutum capeſſimus. Id verò facimus ſequentes ductum

a Lib. 5. ſtrom. in fine.

præ-

præeuntis lucernæ, & ineuntes viam lucis. Hermonijm quippè cuius Pſaltes continenter meminit, interpretatur S. Ambroſius, *viā lucernæ*. Neque verò diffiteor, lucernam hanc Ieſum eſſe, paratam Chriſto domini, & pedibus ac ſemitis Sanctorum illucentem. [Exi ergo prius de Aegypto, (concludit S. Ambroſius,) ſi vis lumen Chriſti videre. Lucerna autem in Chriſti corpore. Hæc tibi lucerna viam monſtrat. Vnde & Sanctus ait, *lucerna pedibus meis verbum tuum*. Lucerna quod illuminauerit animas vniuerſorum: Et in tenebris viam monſtrauerit. Euangelium, via lucernæ eſt. In vmbra lucet, id eſt in ſeculo. Vnde & alibi habes, *Niue dealbabuntur in Selmon*: id eſt *in vmbratione.*]

12 Hæc via lucernæ, eſt *à monte modico*. Ambroſium rurſus, huc aduocemus Interpretem. [Quis eſt, (inquit), *mons modicus*? Conſideremus, ne fortè diuinitas Chriſti mons magnus. Denique *cœlum & terram compleo*, dicit Dominus. Si ergo diuinitas Chriſti mons magnus eſt; vtique incarnatio eius, mons exiguus eſt. Vtrumque ergo Chriſtus; & mons magnus, & minor. Magnus verè, quia magnus Dominus & magna virtus eius: minor, quia ſcriptum eſt, *minoraſti eum paulo minùs ab Angelis*. Vnde & Iſaias dicit, *vidimus eum, & non habebat ſpeciem, neque decorem.*] Euangelicæ ergo lucernæ inſiſtimus, & viam lucernæ à monte modico excitatæ

carpi-

carpimus, Religioſum ſtatum ineuntes. Sed quo lucernam præferente ac pyrphoro? Sanè haud alio quàm B. Antonio, qui primus huius lucernæ ductum palam in communi vita ſecutus, omnibus deinceps eidem viæ inſiſtentibus præiuit exemplo. Vt mihi verè aſſeri poſſe videatur, omnes Religioſos, quantumuis habitu aut colore ſimilibúſue accidentarijs inſtitutis multiplices, (quod vnitati officere debere, iure negabat Petrus Cluniacenſis [a].) reipſa tamen omnes, ſub vno S. Antonij ordine poſſe cenſeri, quia omnes ſub varijs ordinibus diſtributi, ſequuntur hunc pyrphorum.

a Lib. 6. Ep. 4.

13 Quæ mihi (vt id obiter inſinuem;) videtur optima ratio ritè penſandi S. Antonij præcellentem ſanctimoniam. Primum enim in vnoquoque genere, eſt menſura cæterorum, iuxta Philoſophicum ac Theologicum pronuntiatum; quod maximè in operibus gratiæ ratum videtur eſſe debere, ne Spiritus Sanctus, imperfectam menſuram ac ideam propoſuiſſe dici poſſit; quod à prudenti artifice planè abhorreret. Itaque ſicut primus in genere noſtro, fuit cæterorum qui ad eam ideam per coniugale artificium fabrefacti sũt, corpore perfectiſſimus, vt Philo [b] meritò contendit: & primæ fruges, valente adhuc necdum effœto ſolo, ſunt cæteris potiores; Ita primus in genere Cœnobitarum, nulli cæterorum de perfectione concedere, imo omnibus

b In Coſinpo.

bus ea ex parte anteire, cenſeri abſque temeritate poteſt. At hoc quantum eſt? Quàm inſigni namque ſanctitate viri, cœnobia frequentarunt? Quæ ſanctimoniæ cuiuſuis decora, in illis non micuerunt? Tot & tam editos montes ſupergredi, id verò quantum eſt? Non premo in S. Antonij gratiam, argumentum planè apodicticum, indicaſſe contentus.

14 Creſcet verò inſigniter decus S. Antonij, ſi cum S. Chryſoſtomo, attendamus, vbi nam locorum S. Antonius ducatum illum cœleſtis Militiæ occœperit; vbi inquam primùm plantauerit Monaſteria. Nempe in Aegypto. Vbi priùs omnia genera ſuperſtitionum turpiſſimè abundarant, ibi Deus auſpice ac Principe B. Antonio, cœleſte in terris viridarium conſeuit. Vbi cohortes innumeræ exercitum ſatanæ conflarant, ibi primùm Prætoriani Chriſti Milites, duce S. Antonio ſunt conſcripti: & quidem tanto numero, vt ſcribat S. Chryſoſtomus. [Non ita varijs aſtrorum choris cœlum refulget, vt Aegyptus innumeris Monachorum ac Virginum illuſtratur habitaculis. Siquis illam Aegyptum veterem nouit, rebellem Deo, ac magnitudine ſuperſtitionum furentem; adorantem irrationales animantes, porros etiam cepaſque pauitantem; hic optimè Chriſti poteſt noſſe virtutem, per quem facta eſt tam admiranda mutatio. Nec ſanè antiquis teſtibus

a Homil. 8. in Mat

ſtibus indigemus. Adhuc enim ſtultiſſimę illius gentis reliquiæ, manent in exemplum priorisamentiæ; Sed ex his tamen plurimi, ſuperſtitionem priſtinam reſpuentes, iamque depoſito inſultantes furori, de cœlo & his qui in cœlo ſunt philoſophantur; & patrijs moribus obloquuntur; & progenitores ſuos ſæpè miſerantur; & Philoſophos nihili pendunt. Ipſis enim rerum vocibus eruditi ſunt, quod illorum inuenta, verba ſint anilium fabularum: veram autem cœlòque dignam hanc eſſe ſolam philoſophiam, quæ illis à piſcatoribus prædicata eſt. Propterea cum hac dogmatum veritate, plurimo etiam ſtudio virtutis ornantur. Cunctis quippè præſentibus rebus exuti, mundòque crucifixi, nihilominus ad perfectionis vlteriora contendunt.] Interſerit de eorum charitate in egenos, pleraque eximia. Tum ſubdit. [Et certè conſidera, quod iſti aliquando pecuniæ fuerint amatores; quin etiam cum cœteris vitijs, ventris imperio ſeruientes. Ibi enim erant ollæ carnium, quarum Iudæi in eremo recordabantur. Ibi multa tyrannis ventris & gutturis. Sed contra quia noluerunt, in contrarium repentè mutati ſunt, & Chriſti ſuſcipientes ignem, in cœlum ſubitò ſubuolarunt. Quique priùs ad iracundiam ardentiores omnibus fuerant, & ad libidinem corporis proniores, nunc incorporeas poteſtates, temperantia cœteriſque ſpeciebus virtutum imitantur.

Digitized by Google

tur. Quiſquis regionis illius gnarus eſt, iſta quæ dic mus recognoſcit. Si verò habitacula illa nondum nouit, conſideret virum per cunctorum vſque hodiè ora volitantem, quem Apoſtolorum ſimillimum Aegyptus protulit; Beatum dico & magnum illum de quo ſæpè audiſtis Antonium; & reſpiciat, quia hic quoque, illius fuerit regionis Indigena, cuius etiã Pharao; ſed nihil fuit inde vitiatus. Nam & viſione Dei dignus eſt habitus, & talem vitam prorſus oſtendit, qualem habere ſtudent Milites Chriſti.] En B. Antonius, hanc Militum Chriſti vitam oſtendit. Id verò eſt pyrphorum fuiſſe.

§. 6.

Pia nec inueri ſimilis cogitatio, igne appicto B. Antonio, feruorem virtutum eius omnium, præſertimque flagrantiſſimæ charitatis incendium, deſignari.

1 Eccleſiaſten accepimus, noſtra memoria, de B. Antonio ex ſuggeſto agere aggredientem, S. Antonij ignem, concioni quæ frequentiſſima aderat, eſſe appreecatum; diſcuſſitque admirationem ex inſolito voto conceptam, Ignem S. Antonio interpretatus, congeriem flagrantiſſimarum virtutum eius. Quæ poteſt eſſe alia, & verò admodùm fructuoſa ratio, ignem S. Antonio appictum exponendi.

2 Id

2 Id porrò vt perſpiciatur, ſtatuendum in primis eſt, virtutem infuſam, (quam ſolam in S. Antonio placet attendere, dimiſſa inferioris ſubſellij virtute tanquam naturæ viribus commenta, & deſpicatiore, in ſeculi quoque Philoſophos cadere apta:) virtutem inquam infuſam, æquè ac ignem eſſe (vt ita dicam,) elementum ſolius hominis proprium. Aqua, Terra, & aëre, vt Philo [a] ſcitè conſiderat, fruuntur etiam brutæ animantes. Igne, vnus homo vtitur, & ad omnia (quod idem egregiè perpendit,) artefacta conficienda, vel ignem adhibet, vel inſtrumenta non abſque igne confecta: vt propterea Deus, indicendo ſabathis omnium opificiorum iuſtitio, vetuerit ignem tunc accendi. [vt ceſſante cauſa principali, & antiquiſſima, ceſſent etiam eius effectus.] Non diſſimiliter virtus infuſa, quaſi elementum eſt illius hominis, qui eum geminatione *homo* dicitur in Scripturis, iuxta per elegantem Origenis [b] obſeruationem, Hieronimo [c] quoque probatam. Ibi vt in propria ſede fouetur, nec eſt ei benè alibi. Eſt verò actuoſiſſimum quid, & ad omnia ſupernaturalia opera interueniens.

a Lib. 1. de vita Moſis.

b Hom. 24. in Num.

c Ezec. 14. ad illud; homo, homo.

3 Celebrat hunc ignem frequentiſſimè Magnus ipſe Antonius varijs locis, Epiſtolarum, ad Monachos ſuos datarum. Et aliquando [d] quidem, ait mortificationi affectuum rependi [inuiſibilem & immaterialem ignem ad comburendas cunctas paſſiones, purgandumque

d Ep. 5. noua.

Digitized by Google

dumque intellectum, & adducendum ſpiritum Sanctum inhabitatorem.] Alias verò ait, [a] corpus benè compoſitum conſtitui thuribulum in quod demiſſus ab alto immaterialis ignis Dei, comburat & expiet quicquid eo continetur. Gratulatur alibi [b] *Spiritum illum igneum magnum* abs ſe ſuſceptum, & quibus vijs ad eius adeptionem pertingere liceat, ſigillatim aperit. Agnoſcit alio loco ignem inuiſibilem eſſe cauſam aſcenſionis ſanctorũ: & eſſe calorem bonorum operum in cordibus piorum ſuccenſum, ac proportione referre alas quibus aues ſurſum efferuntur. Non excuditur hic ignis, ex ſilicum noſtrorum attritu: cœleſtis quippè eſt, & operatione & origine. Et par ſanè fuit, quando ad cultum numinis in cœlo regiam habentis adhibetur, cœleſtem eſſe purumque, & à fœculentijs terrena quæque inquinantibus, longè ſemotum.

a Ep. 6. noua.

b Ep. 8. noua. ep. 18. noua.

4 Euincitur planè id ea ratiocinatione, qua Hebræorum Plato [c] confici putat, iure adhibitum eſſe à Deo in clauſula initiationis Aaronis & filiorum eius cœleſtem ignem, non hìc infernè excitatum. [Decuit enim (inquit,) eximium donum conferri ſacrarijs; non qualia ſunt materiæ tractabiles hominibus, ſed ignis eſſentiæ puriſſimæ; ne iſte qui noſtro in vſu eſt, altare attingeret, quo iam innumeræ ſordes contactæ fuerant. Admonetur enim non ſolùm brutis animantibus dum

c Lib. 3 de vita Moſis.

coquun-

coquuntur ad ſatietatem ventris miſeri; verùm etiam ad necandos ex inſidijs homines, non tres quatuorue, ſed interdum magnum numerum. Nam & claſſes integræ cum ſocijs naualibus incenſæ ſunt telis ignitis; & Vrbes eadem arte petitæ conflagrarunt, ſubſederuntque in cineres; vt ne veſtigium quidem habitationis ſuperfuerit. Hanc opinor ob cauſam, ignis iſte qui in vulgari vſu eſt, tanquam contaminatus, ablegatus fuit ab altari Sanctiſſimo; & pro eo demiſſus cœleſtis ex æthere, vt eſſet diſcrimen inter ſancta profanaque, & inter humana diuinaque. Conueniebat enim ſacrificijs attribui naturam Ignis incorruptiorem, quàm hæc quæ ſeruit quotidianis vſibus.]

5 Deinceps in eundem vſum ſacrorum, ignem è ſpeculis labro æneo admotis excitatum, docemur ex textu primigenio, vt vir doctus obſeruauit. [a] Qua ipſa ratione, olim ſabatho ſancto, ad cerei Paſchalis accenſionem, ignis è cryſtallo ſoli admota petebatur; quem vſum; ſuo tempore (hoc eſt circiter ante ſeculum,) viguiſſe, teſtatur Ioannes Annius, Non diſſimilem ignem, hoc eſt exortu cœleſtem, adhiberi a nobis in cultu ſibi per nos debito; nec iam in vmbris, ſed in ſpiritu & veritate impenſo, depoſcit Deus. Itaque hunc nobis cœleſtem & diuinum ignem prouidit. Cœleſtem dico, ob natales & exortum è cœlo: diuinum autem, non modò ob tricenarium

b Scach. lib. 1. ſacror. Eccleſ. c. 8.

illum proprietatum ignis corporei, cum diuinis perfectionibus proportionem habentium, iuxta magnum Dionyſium, [a] longè luculentiùs hîc ;micantium; Sed etiam quia diuinæ imaginis decus, multo manifeſtius eſt in hoc igne, quàm in corporeo, cui Perſæ ac Medi, teſte Clemente Alexandrino, [b] id tribuebant. [Propterea enim ſacrificabant ſub dio, ſolas Deorum imagines, ignem & aquam eſſe putantes, vt Philoſophi.] Inſignes huius ignis diuitias, ob tam facilem multiplicabilitatem, & vim altipetam, in cauſa eſſe, cur Deus & diuina omnia, igne in ſcripturis exprimantur, notauit Iſidorus Peluſiota. [c] Quod ſi Sanctus Hilarius, Dei, etiam prout Trini, imaginem ſtatuit ignem corporeum; neque hoc deeſt igni in quo verſamur, ſpectando trimembrem illam virtutem infuſam, quæ Theologica ab immediata in Deum collineatione nuncupatur. Nulla ſiquidem pictura, exquiſitiùs refert prototypum, quàm homo qui diuinæ naturæ fulgores per fidem ſpemque & charitatem, ſibi tranſumit, velutque à tinctura quadam, floridum ſplendorem proprijs oculis affricat. Comparatio eſt magni Baſilij. [d]

6 Nimius ſum in veſtibulo, cum præſtet quantoperè diuinus hic virtutum omnium infuſarum ignis, B. Antonium inflammauerit, conſiderare ſigillatim; Sed obiter tantùm, nec niſi in tranſitu. Nam ſi diligenter & accuratè agendum eſſet, maius opus quàm inſti-

a cap. 15. cœleſt. hier.

b In protrept.

c Lib. 4. epiſt. 66.

d In pſal. 29.

inſtituti ratio ferat, mouendum foret. Itaque perſtringam duntaxat nonnulla, de ijs virtutibus infuſis, cùm Theologicis, tùm moralibus primarijs, ac cæterarum quaſi cardinibus, quę in B. Antonio micuerunt; & quidem non luce tantùm, ſed etiam ardore inſigni preditę, vt propterea iure ignibus conferantur.

7 Hoc de fide, Theologicarum virtutum prima; perpulchrè docuit Nyſſenus, [a] exponens quod per Moſem mandatum eſt, vt tantùm aſſum igni agnum comederent filij Iſrael, non humentem ſiue elixum; [Quoniam fides, ardentiſſima eſſe debet, nihil humidum aut labile aut fluens poſſidens; ſed firma ac ſtabilis.] Huiuſmodi fuiſſe S. Antonij fidem, notius eſt quàm vt expoſitione egeat. Nam non modò inſignem fidei ardorem præ ſe tulit, in certaminibus pro fide, cum Paganis & Arrianis, quæ poſtea attingemus; Sed etiam arrepto ſcuto fidei, omnia tela nequiſſimi ignea extinxit, inter iuges, & ſupra quàm dici poſſit peracres, cum tanto hoſte conflictus, non aliò magis ſecurus munimento, quàm viuæ ardentiſque in Deum fidei.

a Lib. de vita Moſis.

8 Nec alia quærenda eſt probatio, vt de ſpei in B. Antonio ardore conſtet. Eſt quippè ſpes, *ſanguis fidei*, vt ſcitè dixit Clemens Alexandrinus: [b] ac proinde ſicut ſanguis colorem corpori conciliat, quod abſque ſanguine, præſertim ſpirituoſo qui igneæ naturæ eſt & viuidiſſimus, frigidum & emortuum iaceret;

b Lib. 1. ped. c. 6.

Digitized by Google

ret; ita fides niſi à ſpei ferüore concaleſceret, obſtipa rigeret. Ac proinde cum S. Antonij feruidam fidem teneamus, æquè exploratus debet in eo eſſe ſpei feruor. Vnde verò in tot ærumnis, & tanta ab omnibus quæ videntur elongatione, infractus ſemper animus, niſi ab olla ſpei ſuccenſa & ardente? Sic enim accipit S. Ambroſius [a] illud Pſalmi 59. *Moab olla Spei meæ*, vt ſpes olla dicatur, qualis Prophetæ obiecta eſt, ſuccenſa & ardens, à ſpiritu feruente ad ſpem animante, eamque incendente.

a Lib. de Inſtit. Virg. c. 12

9 Charitas *ignis eſt ex intimis*. Sic enim S. Ambroſius [b] literam *Mem* octonarij decimi tertij initialem, latinè interpretatur, & Charitati quadrare aſſerit, quæ ex intimis procedit medullis, & quodam nexu caloris implicatur oſſibus. Quo refert illud Ieremiæ [c], *de excelſo miſit ignem in oſſibus meis*. Et allegato inſuper loco Ezechielis, [d] quo Deus denunciat, plumbum & ferrum ab igne diuino quem eſſet immiſſurus, liquefacienda eſſe, addit. [Totum hic ſpiritale: quibus precibus emerear, vt veniat Dei verbum, intret Eccleſiam, fiat ignis conſumens vt exurat fœnum & ſtipulam, & quicquid eſt ſeculare conſumat? Graue plumbum iniquitatis, quod in pleriſque eſt, liquefiat igne diuino; & ferreus quidam peccati rigor, ſuperno molleſcat incendio. Meliorentur vaſa aurea & argentea, vt omnis ſapientium ſenſus, omnis ſermo

b Serm. 13. in pſ. 118.

c Thr. 1.

d cap. 22.

pru-

Digitized by Google

prudentium, flagrantium paſſionum calore decoctus, incipiat eſſe pretioſior. Bonus ignis Charitatis, quo corpus omne Eccleſiæ, in mutuam adoleſcit gratiam. Bonus ignis dilectionis, quo vnuſquiſque Sanctus ad venerentiam ſui autoris accenditur.] Vt innoteſceret quàm hic ignis in S. Baptiſta fuiſſet incenſus, voluit Deus ipſum S. Iacobo Maronis obijci veſtitum niuea veſte, & habentem propè ſe clibanum ſuccenſum, vt ſcribit Theodoretus a in Iacobo. Eſt igitur charitas ignis. a Cap 21 rel. hiſt.

10 Hic ignis, quàm ſuccenſus in B. Antonio fuerit, nemo ſatis oratione aſſequatur. Tam ardenti ſiquidem amore in Deum flagrauit, vt præ illo igne interno, ignis exteriùs adurens, actionem ſuam non poſſet expromere; perpeſſiones inquam innumeræ, quæ illi à Satana, ab hominibus, ab ipſamet eius voluntate exitiali odio armante hominem in ſemetipſum, obtingebant; non poſſent à Deo abiungere illum, cui Deo adhærere tam bonum erat. Qua ratione S. Macarius, b ac etiam S. Ambroſius c confirmant; tres pueros in fornace perſtitiſſe illæſos; quia præ igne charitatis in Deum quo intus ardebant, excludebatur actio ignis externi in eorum corpora, quandoquidem ſimile non agit in ſimile. Et omnes quidem Sancti, hoc igne planè ſuccenduntur iuxta Caſſiodorum. Omnibus hic ignis erudiens, de cœlo in oſſibus mittitur, etiamſi

b Hom. 11

c Ser. 18. in pſ. 118 verſ. 4.

Digitized by Google

paucis ſenſibiliter in pectus illabatur, vt pijſſimæ puellæ Vvaldradæ, de qua Rupertus. Diuus tamen Antonius, (quod ſeclusis comparationibus inuidioſis dictum volo,) in hoc genere præcelluit, eoque ſpectauit Abbas Siſoi, cuius illa vox refertur, D. Antonio ſupra omne metrum perhonorifica. [Ego ſi haberem vnam cogitationem Abbatis Antonij, fierem totus ignis.] Adeò ignitum præ Charitate flagrantiſſima in Deum, cenſuit eſſe B. Antonium, vt vnicam eius cogitationem, id eſt iuxta phraſim ſcripturæ, vnicum affectum, & vel minimum motum charitatis in Deum è B. Antonij corde proſilientem, ſatis ſibi fore exiſtimauerit, ad igneſcendum.

11 Minores ignes, virtutes inquam morum infuſas, cuiuſmodi in S. Antonio fuerint, vix attinet commemorare: cum res ſit adeò perſpicua, (ijs quidem qui in rebus eius prorſus hoſpites non fuerint,) vt illuſtratione non egeat. Prælucet omnibus his virtutibus Pharus prudentiæ infuſæ, quæ quàm inſignis in Beato hoc cœlite fuerit, intelligere licet ex eo elogio, quod ab eo depactum huic virtuti ſub *diſcretionis* nomine, Caſſianus[a] teſtatur. Quia verò probatio dilectionis, exhibitio eſt operis, monſtrauit ſe planè ardere cœleſti igne, cum audito Chriſti ſermone in lectione Euangelica, illicò abrupit omnia retinacula, & volucrem obedientiam exhibuit Deo loquenti. Quæ eſt conflagratio ab igne cœleſti,

[a] Collat. 2. c. 2.

ſti, ſola peccata exurente, vt piè admodùm diſſerit S. Ambroſius. [a] Nam de obedientia prompta & ignea, neſciente moras, hominibus exhibita à B. Antonio, habemus præclarum Didymi elogium à Palladio [b] annotatum.

a Serm. 18. in pſ. 118. ad verſ. 4.

b in Lauſiaca c. 3

12 Humilitas, quæ ignis ille eſt cæleſtis ac diuinus; nunc in Chriſtiano pectore defoſſus, ſuo autem tempore erupturus, & micaturus; quemadmodùm ignis ille ſacer tempore captiuitatis defoſſus in fouea, idem ſoluta captiuitate, ſplendori ſuo reſtitutus, (comparatio eſt S. Macarij; [c] hæc inquam lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus ſtatutum; in S. Antonio fuit illuſtriſſima, de quo non dubitabit, quem non latuerit cœleſte viſum B. Antonio obiectum, de infinitis in hac vita laqueis, à ſolo humili ſecurè declinandis; vt ex antiquiorum traditione recitat Abbas Dorotheus. [d] Idem humilitatis ſtudium produnt illa B. Athanaſij de S. Antonio. [Nunquam ille humilitatem erexit in gloriam. Nam omnes Clericos vſque ad vltimum gradum ante ſe orare compellens, Epiſcopis quoque atque Presbyteris, quaſi humilitatis diſcipulus, ad benedicendum ſe, caput ſubmittebat. Diaconos autem qui ad eum humilitatis cauſa veniebant, cum pro adiutorio eorum eis præſentibus diſputaret, ad orandum dominum ſibi præponebat, non erubeſcens & ipſe diſcere. Nam & interrogabat frequenter eos cum quibus

c Hom. 11

d Doct. 2

erat, & ſi aliquid ab eis neceſſarium audierat, ſe fatebatur adiutum.]

13 Patientiam in vſtione tribulationis, (vt D. Auguſtinus [a] loquitur verſans illud, *tranſiuimus per ignem & aquam,*) adeò illuſtrem exhibuit S. Antonius, vt non dubitauerit Gerſo, eum *verè martyrem* dicere, quamuis ſicca morte perfunctum. Ardebat in eo inſatiabilis cupiditas, creſcendi & proficiendi in omni ſanctimonia; perinde ac ignis, nunquam dicens, *ſufficit*. Quod ex ſuprema eius oratione à B. Athanaſio deſcripta, apertè liquet. Iugis item ac indeſeſſa affectuum compreſſio, ac mortificatio veteris hominis, de qua Beda & Theophilactus accipiunt illud Marci; *Omnis enim igne ſalietur*: quod ſubiunctum eſt ijs quæ explicatè ac diſertè ad mortificationem ſpectabant; hæc inquam Religioſum virum excoquens ac perfectè defœcans mortificatio, nullum vnquam in B. Antonio ſortita eſt creſcendi terminum; tantum abeſt, vt de ea remitteret procedente tempore, aut ſatur Sancti in ſe odij, vlteriore ſui inſectatione abſiſteret.

a In pſ. 65.

14 Video me cum iniuria tam illuſtrium argumentorum, quorum vnumquodque iuſtæ diſputationi par eſſe potuiſſet, adeò ſtrictim illa attigiſſe, vt quaſi ſuper prunas incedens, feſtinatione vſus videri poſſim. Sed ea celeritate prætergrediendum fuit, ne iuſta mora finem dicendi excluderet, dum ſemper ſuppeteret

teret quod meritò poſſet adiungi. Nefas tamen ſit, quantumcunque feſtinantem, de fornace & camino, vnde B. Antonius tam multos ignes eduxit, prorſus ſilere. Nemo non videt, id decus eſſe orationis & conuerſationis cum Deo. Nam Chriſtus ipſe de ſe dixit, *qui iuxta me eſt, iuxta ignem eſt*, referente Origene,[a] quamuis ſilente ſcriptura. Ei ad Deum acceſſui per orationem; (quæ partus eſt virtutis religionis in S. Antonio micantiſſimæ, & idcirco dicto *deicolæ*:[b]) vir hic religioſiſſimus, adeò erat addictus, vt Caſſiano[c] teſte, poſt conſumptam in oratione ſolidam noctem, aduersùs ſolem tanquam moleſtum interpellatorem expoſtularet. Idem negabat, ritè ac dignè Deo fundi orationem, ab eo qui fundi ab ſe orationem animaduerteret: quod eſt exuſtis atque conſumptis feſtucis omnibus ac ſtipulis noſtratium obturbationum, pura & planè impermiſta flamma in Deum niti.

a Hom. 3 in Ierem.

b Cap. 2. Vitæ.

c Coll. 9. cap. 30.

15 In hoc camino, B. Antonius igneſcebat vniuerſus. [Et bonus ignis, (iuxta S. Ambroſium[d]) qui calefacere nouit, neſcit exurere, niſi ſola peccata. Hoc igne ſuper bonum fundamentum poſito, Apoſtolicum illud aurum probatur. Hoc igne, illud morum vel operum examinatur argentum. Hoc igne precioſi illi lapides illuminantur; fœnum autem & ſtipula conſumitur. Mundat ergo hic ignis animum, conſumit errorem. Vnde & Dominus ait, *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem*

d Ser. 18 in pſ. 118 ad verſ. 4.

monem quem locutus ſum vobis. Hic eſt ignis qui ardet ante dominum. Niſi enim quis flagrantiam deuotionis ſumpſerit, præſentiam domini habere non poterit.] Ad huius ignis excitationem aſſiduam; ad ſtudium inquam orationis, quantum per alias prorſus neceſſarias occupationes fas eſſet, iugiter prorogatę; voce cœleſti impulſum B. Antonium prodit creditus Auguſtinus, agens cum Fratribus in Eremo. Itaque concaleſcebat intra eum aſſiduè cor eius, præ ſtudio ardentiſſimæ orationis: & in meditatione eius, ignis exardeſcebat. Inde illa flamma, quæ de ſancti viri ore alios alloquente & incendente exiliebat. Accenderat enim per orationem intentiſſimam, in corde ſuo, ignem luculentum, de quo ſiuè ſcriberet, ſiuè loqueretur, micabat ignis, & flammæ prodibant.

16 Scribentis quidem ignem, paucæ quas ab eo habemus Apoſtolici ſpiritus epiſtolæ, (ita enim eas inſignit S. Hieronymus, [a]) latere non ſinunt: ita vt calamum ipſe quoque, non minus quàm poſtea B. Baſilius, iudice Nazianzeno, [b] moueret ex pyxide Spiritus ſancti, qui *ignis* nomine donari ſolet. Loquentis verò ſermones, æquè ac Eliæ, ignis erant, & quidem ardens ac ſuccenſus. Nec enim per adulationem qua Sergium ſuum malę notæ hominem, Piſidas [c] abblandiens mulcebat, ſed ex veritate licebat de eo pronuntiare.

a Lib. de ſcriptor.

b Orat. 20. n. 100

c In Colmop. verſ. 184.

At

At non loquẽdo intus ſonum magnum dedit,
In cordis igne cum indidit linguam ſuam;
Hanc condiditque, & reddita eſt vocalior
Tacenſque clamat:

Ad veritatem, eiuſmodi erant, non Sergij Monothelìſmo ſordentis; ſed B. Antonij ſermones. [Tales erant & Ieremiæ ſermones, ſecundum quod ſcriptum eſt, cum dicit ad eum Dominus. *Ecce dedi ſermones meos retrorſum in os tuum, ignem*. Quare *ignem*? quia ſermones quos loquebatur, accendebant auditores; & nihil tepidum in eis, neque frigidum permanebat. Sed ſicut ignis conſumit & interimit omnem materiam, nec immundum aliquid in ſe recipit aut pollutum, ita & hi quorum cor diuini verbi ignis accenderit, non patientur vltra materialibus & mundanis ſordibus pollui, nihil in ſe tepidum recipient, & quod euomi dignum ſit, nec patientur multiplicata in ſe iniquitate refrigeſcere charitatem: Sed erunt ſemper lampades eorum accenſæ, & lucernæ ardentes, & ipſi parati, tanquam ſerui expectantes dominum ſuum de nuptijs redeuntem. Aut non iſte erat ille ignis de quo Saluator noſter dicebat. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* Iſte procul dubio ignis eſt, qui frigus peccati fugat, & calorem ſpiritus reuocat. Hoc nimirum eſt etiam quod in Actibus Apoſtolorum refertur, cum dicitur, quia *viſæ ſunt eis*

diuiſæ

diuiſæ linguæ ſicut ignis, & conſediſſe ſuper Apoſtolos: pro eo ſcilicet quod Euangelij verbum prædicatur, & ignei vigoris deberent gratia roborari, vt auditorum animæ flammam per ſermonis traducem ſumerent.] Dedi Origenis a verba, quibus accommodatius quippiam ad exprimendos igneos S. Antonij ſermones, præ ſuccenſo per orationem corde vnde prodibant, planè deſpondeo.

a Hom. 1 in pſ. 38.

17 De igne igitur virtutum ſancti viri, pro loco & tempore, hactenus ſat multa; vt appareat, iure ignem B. Antonio appictum, de huiuſmodi igne accipi & exponi poſſe. Neque tamen priùs abſcedo, quàm conteſtatus ſim, quàm bonum & vtile ſit, inter algores & rigores hyemis noſtratis, ad hunc ignem accedere & concaleſieri, reuocato ad praxim ſapienti monito Hebræorum. [Eſto calefaciens te, ad ignem ſapientum.] Id eſt, accede ad illos, & imitatione exprime, ac ſicut illi ſanctè arde ac igneſce. [Interim tamen caue tibi à prunis eorum, ne aduraris.] Hoc in re noſtra vix habet locum. Senſus enim eſt, ita imitare feruorem ſapientum, vt queis ob corpoream concretionem ſordeant maculis, non inquineris; more eorum qui improuidè, dum bona æmulantur, etiam admiſtas bono maculas hauriunt: quod feciſſe ſtultè diſcipulos Portij Latronis,(vt tradit Plinius,[b]) & alios, Ariſtotelis balbutiem, ac Platonis gibberum exprimendo, compertum eſt. Nec defuiſſe qui

b Lib 20 c. 14.

qui ſtridorem dentium Magiſtri peruersè æmularetur, tradit Hieronymus: [a] ſimiliaque de alijs ridiculis S. Baſilij imitatoribus, Nazianzenus. [b] Huiuſmodi ergo peruerſa Sanctorum imitatio, cauenda eſt; ſed ſicubi deflexerunt, vel ſicubi à terrena concretione ſordent, dimittendi ſunt; idque eſt flammis eorum calefieri, prunas verò non attingere: quod aiebam vix hìc habere locum, cum S Antonij virtutes adeò ſint defœcatæ, vt ſecurè, abſque timore vitioſæ concretionis admiſtæ, imitatione exprimi poſſint. Eſt ergo perutile ac optimum, calefieri ad ignem S. Antonij, nec eſt timenda à prunis eius, aduſtio: præſertim cum acceſſus ad hunc propoſiti monaſtici Principem, ſit futurus tāquam ad ignem, ſecluſa ſcilicet irreuerentia, quam prunarum contrectatio exprimere item poteſt; ac defutura item ſit, imitatio ſupra modulum cuiuis in ſtatu & gradu ſuo conſentaneum; quod eſt quaſi nimiùm premere & contrectare prunas, cum ſatis eſſe deberet frui flammarum vicinia potiùs quàm attactu, & inde calorem ac feruorem concipere, quo vita noſtra ſpiritalis foueatur, & vigeant in nobis cum pietate bona omnia. Huiuſmodi ignem verè ſanctum, ad quem quiuis frigus ſuum depulſurus iure accedat, in ſancto quouis confeſſore exhibet ſtudiosè Berengoſus. [c] Sed quantum alijs paſſim cōfeſſoribus præcelluit S. Ant. tanto iuſtius in eū cadūt quæ alijs tribuuntur in hoc genere.

[a] Lib. 3. in Ruffin

[b] Ora. 20

[c] Ser. de vno cōf.

E con-

18 E contrario quàm dolendum, quod pleriſque videmus accidere, vt cum imitatione B. Antonij, primùm ſpiritu feruerent, nec ſecus ac igniti illi lapides in quorum medio ambulabant & ipſi calore abundarent, & alijs impertiri poſſent; poſtea tamen, à tepore apud Deum maledicto, (quippè malorum omnium certo initio,) ad exitiale frigus progreſſi, in miſerrimum ſtatum dilabantur ac pereant? Accidit illis proportione, quod animabus iuxta Origenis errorem; quæ cum igneæ eſſent, ac beato ſtatu in cœlis fruerentur, malo vſu fœlicis ſtatus quo potiebantur, deiectæ ſunt in corpora; vbi frigefactæ, nomen pſychon ſortiuntur, omnibus noſtratibus incommodis, & æterni exitij periculo obnoxiæ. Locum Origenis huic monito perbellè ſeruientem repræſento; conteſtans tamen fructuoſam accommodationem à me proferri, non erroris de animarum præexiſtentia, aſſertionem. [Ex ipſa (inquit,) animæ ſignificatione, quam in Græco indicat, viſum eſt & nonnullis requirentibus curioſiùs, poſſe viro mediocrem ſubijci intellectum. Nam ſermo diuinus, Deum ignem eſſe dixit, cum ait, *Deus noſter ignis eſt conſumens*. Sed & de Angelorum ſubſtantia ita ait, *qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem*. Et alibi. *Apparuit, Angelus domini in flamma ignis, in Rubo*. Inſuper etiam mandatum accepimus, *vt ſimus Spiritu ferventes*; per

quod

quod ſine dubio igneum oſtenditur & calidum Dei verbum. Sed & Hieremias Propheta, audit ab eo qui ſibi reſponſa dabat, *Ecce dedi verba mea in os tuum, ignem.* Sicut ergo Deus ignis eſt, & Angeli flamma ignis, & ſancti quique ſpiritu feruent; E contrario hi qui ceciderunt à dilectione Dei, ſinè dubio refrixiſſe in charitate, ac frigidi facti, dicendi ſunt. Ait enim & Dominus quia *propterea quod multiplicata eſt iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Sed & omnia quæcunque ſunt quę aduerſæ poteſtati in ſcripturis ſanctis comparantur, frigida ſemper inuenies. Diabolus dicitur draco. ſerpentem namque & draconem, (quod vtique ad aliquem de malignis ſpiritibus retorquent,) & in mari Propheta eſſe deſignat. Et alibi dicit Propheta, *Inducam gladium ſanctum ſuper draconem fugientem, ſuper draconem ſerpentem peruerſum, & interficient eum.* Et iterum ait: *Etiam ſi abſceſſerint ab oculis meis, & deſcenderint in profundum maris: ibi mandabo draconi & mordebit eos.* Sed & in Iob ipſe Rex eſſe omnium quæ in aquis ſunt, dicitur. A borea verò accendi mala ſuper omnes qui habitant terram, Propheta denunciat. Boreas autem in ſcripturis ſanctis, frigidus deſignatur; Sicut ſcriptum eſt in ſapientia *frigidus ventus Boreas.* Quod & ipſum ſine dubio ſentiendum eſt de diabolo. Si ergo ea quæ ſancta ſunt, & ignis, & lumen, & feruentia nominantur; quæ autem

con-

Digitized by Google

contraria, frigida: & Charitas, peccato dicitur frigeſcere: requirendum eſt ne fortè & nomen *animæ* quod Græca dicitur voce *pſyche*, à frigeſcendo, de ſtatu diuiniore ac meliore dictum ſit; & translatum inde, quod ex calore illo naturali & diuino, refrixiſſe videatur: & ideò in hoc quo nunc eſt ſtatu, & vocabulo ſita ſit.]

§. 7.

Profani ignis à S. Antonio decuſſio, per ignem ad eius pedes iacentem, veriſimillimè expreſſa.

1 QVAE hactenus propoſitæ ſunt ignis S. Antonio appicti declarationes, veriſimilitudine non deſtituuntur. Vt tamen ingenuè aperiam ſenſum meum, minùs explent animum; eoque nominatim incommodo laborant, quod non ſatis accommodantur ſitui, ignis B. Antonio appicti. Exhibetur enim ignis ad eius pedes iacens, non autem ſublimis, vt par erat, ſi appingeretur ad inſinuanda munera ob quæ appingi dicebatur. V. G. ſi ignis iſte exprimit S. Antonium celerem vltorem, debuiſſet exhiberi, vt vibratus eius manu. Et idem eſſet, ſi denotaret, S. Antonium Pyrphori partes obiuiſſe. Si ignes cœleſtes virtutum flagrantiſſimarum repræſentaret, par fuiſſet exprimi ſpecie globi ignei de cœlo in caput eius demiſſi, vt B. Martino acci-

accidiſſe ſcribunt, a qui eius acta conſignarunt poſteris. Et noſtra ætate, Franciſco de Sales ſanctiſſimo Antiſtiti, diuinitus obtigiſſe, eſt teſtatiſſimum. Vel certè exhibendas fuiſſet columna ignea ad cœlos vſque pertingens, vt factum eſt Eremitæ illi de quo in B. Antonij Lerinenſis actis, Ennodius. [Abſolutionis eius tempore (inquit,) columna ignea B. Antonij oculis eſt ingeſta, ad cœlum vſque pertingens; credo vt venerabilis Viri fides, & ardor ille vitiorum decoctor, typico monſtraretur incendio.] Nihil tale, circa hunc B. Antonij ignem ſeruari videmus; Sed potiùs ignem appingi ad pedes eius humi iacentem. Itaque in eam cogitationem haud grauatè deſcendo, hunc ignem aliud non eſſe, quàm ſymbolum & imaginem prophani ignis, vitioſæ naturæ congeniti, & in vnumquoque noſtrum pro vitioſorum affectuum multiplicitate multiplicis, qui è S. Antonij pectore decuſſus, & foras emiſſus repræſentetur.

a Sulpit. dialog. 3. cap. 2.

2 Quod aſſumo, eſſe nobis omnibus conſertum & congenitum ignem prophanum, non eſt obſcurum. Ea quippè cauſa eſt, iuxta Clementem Romanum, [b] cur Chriſtus dominus, lauacri regenerationis noſtræ materiam, delegerit aquam. Nimirum vt admotione elementi aquæ, ignem extinguentis, monſtraret reſtingui ignem, vnicuique noſtrum cohærentem à natura, & vitio noſtro immane quantum adauctum. Eodem pertinuiſſe vi-

b Lib. 9. recognit

a In dial. cum Typhone. deri poteſt, quod ſcribit S. Iuſtinus,[a] de flamma ex aquis Iordanis exiliente, cum Chriſtus Iordanis aquas ſubijt, ad baptiſmi noſtri haud ita multo poſt inſtituendi, adumbrationem. Quia enim ea baptiſmi Ioannis, (tametſi & vi ſua & ratione ſubiecti prorſus euanidi,) ſuſceptione, Chriſtus dominus prædelineatum voluit baptiſmum à nobis ex eius inſtituto ſuſcipiendum; iſque ignem nobis naturaliter conſertum extinguit; propterea in aquarum ingreſſu, ignem ex illis extruſit; tantùm non docens, rotam natiuitatis noſtræ inflammatam à gehenna, his laticibus quos ipſe nobis apparauit, igne reſtincto temperari.

3 Hic eſt ignis gehennæ, quia diabolus gehennæ inquilinus, hoc igne ad inferni ſtatum aptante, vtitur ad nos inflammandos. [Habet etiam aduerſarius noſter; (verba ſunt S. Bernardi[b]) vt potè peruerſus diuinorum operum æmulator, habet inquam, ignem ſuum & ipſe; ignem concupiſcentiæ carnalis, ignem inuidiæ & ambitionis, quem Saluator in nobis non accendere, ſed extinguere venit. Denique ſi quis alienum hunc ignem in diuino offerre præſumpſerit ſacrificio, etiam ſi patrem habeat Aäron, morietur in iniquitate ſua. Gehennæ item ac diaboli, hunc ignem iure dixerim, quia continet prægustationem quandam inferni, & ſtatus ac pœnæ illic ſubeundæ. Vt propterea iuxta Auguſtinum[c], de eo ſcriptum ſit, *Ignis ante ipſum præcedet*.

b Serm. 2 de purif.

c In pſal. 92.

Hic

Hic eſt ignis inuoluens, nec attollens, & altipetus, cuiuſmodi eſt ignis Spiritus ſancti, ſed deprimens & ad inferiora demittens, vt D. Gregorius [a] obſeruauit; expendens viſum Prophetæ obiectum, de vento turbinis veniente ab Aquilone, & nube magna, ac igne inuoluente, quem interpretatur ardorem malitiæ ad inferiora incuruantem.

a Hom. 2 in Ezec.

4 Piget, particulatim multiplicitatem nocentiſſimi huius ignis deſcribere. Pro numero enim vitioſorum affectuum, multiplicantur in nobis flammæ eius. S. Macarius [b], affectiones vitioſas, nihil aliud eſſe ſtatuit, quàm ignem impurum, accendentem cor, & ita per omnia membra percurrentem, qui prouocat hominem ad petulantias, & infinita mala.] Ponit exemplum in luxuria, auaritia, vana gloria, ſuperbia, inuidia, & ira. Tum concludit: [Itaque affectiones illæ, ſunt flammæ ignis ardentes, & tela nequiſſimi ignea. Inquit enim Apoſtolus, *Vt poſſitis vos, omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.*] Sanctus Paulinus totidem ſtatuit iniquos ignes, (ſic enim appellat,) quot ſunt ſecularium cupiditatum & illecebrarum propagines. Itaque enixè petit, [ne auaritia & concupiſcentia oculorum, ac noxius temporalium rerum amor, in nobis ardeat igne peſtifero, qui ignis alienus eſt Deo.] Eum qui obtulerunt, igne diuino vltore ſuccenſi ſunt, vt paulo ante præmiſerat. Nec diſſimiliter S. Auguſtinus c,

b Homil. 15. ſub finem.

tractans illud, *priuſquàm intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, ſicut viuentes, quaſi in ira abſorbet eos;* Tantum malum quo aliqui etiam num viuentes prædeuorantur ab igne Tartareo, interpretatur [ignem concupiſcentiarum malarum, honorum vanorum, ſuperbiæ, auaritiæ.] qui ignis ſupercadens, facit vt plerique mortalium non videant ſolem iuſtitiæ Dei. Excœcant enim eos, malæ illæ cupiditates, quibus ardent atque conflagrant. Vnde hìc, *tanquam viuentes,* & imagine vitæ delectantis ſed decipientis potientes, dicuntur. Et tanquam *in ira puniri* pronuntiantur, quia tranquillus hoc facit Deus, vtcunque iraſci & ſuccenſere videatur, quum maximam hanc execrationis pœnam infert, permittens ignem ſupercadentem [ignem ſuperbiæ, ignem fumoſum, ignem concupiſcentiæ, ignem iraeundiæ. Quantus ignis eſt?] Verba ſunt S. Auguſtini in eundem locum.

5 Ignis iſte, nunc Dei aduerſarios conſumens, iuxta Apoſtolum, S. Antonio iacet ad pedes, exemptus ſcilicet ab eo vi diuina. Nam etiam Abbas Serenus, vt eſt apud Caſſianum, ab Angelo in viſione nocturna, eius aperiente vterum, ignita carnis ſtruma de viſceribus auulſa, incentiuis iniquitatis liberatus refertur. Et Virgo, ab exempto aut intus reſtincto igne hoc profano, partenos quaſi pyr thanon à Græcis appellatur, auctore Anaſtaſio Sinaita. Et quanquam S. Auguſtinus

4. Ciuit.

Digitized by Google

4. Ciuit. cap. 10. ignem flammantem cum virginitate componit, dicens idcirco Veſtales ignem ſacrum curaſſe, quia vt ignis nihil generat, ita neque Virgo; tamen comparatio Virginis cum igne extincto; ipſo eius Græco nomine inſinuata, eſt vſitatior.

6 Itaque S. Antonio ignis maledictus libidinis (ſic enim cum S. Bernardo iure dixerim) iacet ad pedes, fuit enim Virgo animo & corpore, id quod facilè perſuadent quæ de eius ſanctiſſima educatione in ſeculo à S. Athanaſio ſunt prodita: Ex illis enim liquidò deprehenditur, eum non temeraſſe ante ſeceſſionem à mundo nitorem corporeæ pudicitię. Extra omne verò dubium eſt, quod neque nitorem illum obleſerit poſt ſeceſſionem, idque diſertè prodit S. Athanaſius ex ipſiuſmet Satanæ libidinum incentoris confeſſione. Itaque meritò B. Veronica de Binaſco, vt eſt in eius Actis [a] conſcriptis ab Iſidoro de Iſolanis, deſcribens celebritatem quam in cœlo peractam viderat die feſta S. Antonio, ait eum vna cum S. Paulo primo eremita ob virginitatis honorem obuerſatum ſibi eſſe indutum veſte alba, & lilia manu geſtantem, quæ eſt virginitatis teſſera, aſſectantibus & ineffabilem eorum ſplendorem proportione referentibus aliorum ſanctorum Aſcetarum magnis agminibus: ac nominatim quorundam nigra veſte amictorum & pileatorum; qui ſcilicet doctrinæ laudem cum intemeratæ Virginitatis

a Lib. 5. c. 19.

 gloria

gloria coniunxiſſent: quos omnes ob Magni Antonij feſtiuam ea die in terris memoriam, antiſtropham terrenæ ac noſtrati ſolemnitati panegyrim in cœlo ad ſancti viri gloriam celebraſſe, retulit eo in ſpiritu rapta, B. Veronica. Quanquam ego, ignem ad B. Antonij pedes iacentem, non de impuris duntaxat ardoribus in eo diuinitùs ad debitam temperiem redactis acceperim, ſed etiam de quibuſuis flammis erumpentibus è camino appetitus in nobis ſemper ſuccenſi, ni diuina gratia faciat medium fornacis quaſi ventum roris flantem. Quod igitur ſicut libidinis, ita malarum quarumuis cupiditatum ignis depaſcēs in nobis omnia, reſtinctus quodammodo in B. Antonio fuerit, & quaſi extra eum foris eductus, diuino munere, iure appingitur B. Antonio ignis ad eius pedes iacens, eamque eſſe germanam ignis huius appicti notionem, videtur veriſimillimum.

7 Non refragabor, ſi quis ignem ad pedes B. Antonij iacentem, de ipſomet Satana, qui item *ignis* nomine venire poteſt, accipiendum contendat. Apud Origenem in expoſitione Iobi ad illa verba *Ignis cecidit de cœlo, & combuſſit oues* perſpicuè traditur, Satanam ignis nomine poſſe denominari. Sic enim eum affatur Origenes, aut quiſquis alius Commentarij illius in tres libros diſtributi Autor. [Non mentiris ò Diabole quod ignis cecidit de cœlo, ſed non quem Deus mitteret,

ret, ſed quem tu finxiſti in diuerſas figuras immutando temetipſum, aliquando in prædones, aliquando in ignem &c. Ignis cecidit de cœlo. Non mentiris o miſerrime omnium bonorum inimice, non à Deo miſſus, ſed tua iniquitate ſuccenſus eſt. Tu es ò Diabole ignis ipſe qui de cœlo cecidit, qui innumeros igne peccatorum in mundo ſuccendis. Tu es ipſe ignis ò Diabole qui gehennæ ignis plurimos peccatores facis, cui ignis & tenebræ dignè reſeruantur præ omnibus. Tu es ipſe ignis ò Diabole qui cum de cœlis deſcendiſſes, in medio montium igneorum proiectus es, ſicut dicunt Sanctorum oracula. Tu es ipſe ignis quem etiam ipſe Dominus fulguris igni conſimilans atque de cœlo cadentem demonſtrans, dixit; *Vidi Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem*. Hæc nimirum inuerſa quia dixit nequiſſimus ille *ignis de cœlo cecidit*, propriam in ignem gehennæ per hæc oſtendens ruinam.] Habemus Satanam *ignis* nomine expreſſum.

8 Nec eſt quod quis obijciat ignem ſymbolum eſſe diuinitatis, vt ſupra dictum eſt ex S. Dyoniſio, eſtque indubitatum, ac proinde non poſſe eſſe ſymbolum Satanæ, iuxta doctrinam Gulielmi Pariſienſis, [a] negantis rei malum quippiam referenti, inædificari poſſe rei ſanctæ ſignificationem, & viceuerſa. Sed eam Gulielmi doctrinam graues PP. atque Doctores non admittunt, nominatimque S. Au-

[a] L. de leg. c. 17.

guſtinus, [a] S. Ambroſius, [b] Bleſenſis [c] & ex recẽtioribus Sancius [d] atque Serhlogus [e]. Itaque nihil vetat, ignem eſſe Satanæ ſymbolum, etiamſi ſub alijs reſpectibus conſideratus Deũ referat. Sicut ignis eſt ſymbolum concupiſcentiarum effrenium ac vitioſarum, præſertimque luxuriæ, iuxta S. Bernardum de igne maledicto agentem, occaſione ignis benedicti quo incenduntur cerei ad proceſſionem Purificationis. Et idem optimè tradit Richardus ad illud Pſalmi 28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Aequè ergo ignis etiamſi penes aliqua capita ſit Dei ſymbolum, poteſt penes alia eſſe imago Satanæ inflammantis in nobis gehennam.

a 22. contra Fauſt c. 83.
b In poſteriore] Apol. Dauid c. 7.
c In fine inuectiuæ cõtra deprauatorem.
d In c. 1. Oſee nu. 28.
e Antel. 1. c. 2. nu. 44.

9 Hunc verò prophanum ignem ad S. Antonij pedes meritiſſimò ſtatui, monſtrant inſignes triumphi toties de Satana reportati: iſque nominatim quem S. Athanaſius graphicè deſcribit, narrans ſuccenſas in S. Antonij tum tyronis corpore impuras flammas, quas cum ille generosè reſtinxiſſet, adiuuante Deo qui vt ait S. Athanaſius carnem noſtra cauſa ſuſcipiens, victoriam carni aduerſus ſpiritum nequam miſericorditer elargitur; Satan ad B. Antonij pedes prouolutus apparuit ſpecie tali, qualis eſt ſtatus eius: nempe ſpecie pueri horridi ac nigri, profitentis ſe multos ad eam diem ſtrauiſſe, Antonio autem ad pedes iacere, quippè ab eo ſuperatum. [Tuo (inquit) ſum labore ſuperatus. Ego

ſum

ſum fornicationis amicus. Ego multimoda aduersùm omnes adoleſcentes turpitudinis arma ſuſcepi: Hinc & ſpiritus fornicationis vocor. Quantos pudicè viuere diſponentes ſefelli? Quot tenuiter incipientes ad ſordes priſtinas redire perſuaſi? Ego ſum propter quem Propheta lapſos increpat dicens, ſpiritu fornicationis ſeducti eſtis, & reuera per me & illi fuerant ſupplantati. Ego ſum qui teipſum ſemper tentaui, & ſemper repulſus ſum.] En cur ad B. Antonij pedes iacens depingatur hic ignis. Et ſanè vt benè ſic locuto Satanæ repoſuit S. Antonius, obſcuritas illa formæ, & ætatis puſillæ ac teneræ ſpecies, Satanæ per ſanctum pugilem diuina vi proſtrati infirmitatem, aptè exhibebat. Nec minùs commodè illam exhibet pictura iacentis ad pedes, ac ante eum prouoluti, vt denotaretur herbam porrigere.

§. 8.

Tranſitum ad alia Symbola B. Antonio appicta, ac primùm ad ſuem.

1 APpictam B. Antonio ſuem rudes ac hebetes, de enutrito apud Sanctum virum vt apud ruſticos aſſolet, porco villatico ad cibum poſt ſaginam, accipiunt: quæ cogitatio nimium pinguis eſt & abijcienda? Et ſanè qui ita cogitant, de S. Antonio ſtatuunt vt de Patre familiàs ruſticano, cui ex

vſu

vſu eſt, vt habeat vndedomeſticis cibum in tempore tribuat, porcum alere. Hoc inſulsè nimis de S. Antonio cogitaretur, præſertim cum B. Athanaſio teſte, [a] carnibus non veſceretur S. Antonius: id quod illo tempore, vt idem S. Athanaſius admonuit victum Sancti viri ſeueriſſimum deſcribens, plerique Monachorum ſeruabant, longè imperfectiores B. Antonio. Et fuiſſe peculiarem cauſam cur porcina abſtineret, intelligimus ex S. Hieronymo [b] qui Iouiniano ingluuiei ſuæ patrocinium captanti ea interrogatione; Cur porcus creatus eſt. Nimirum niſi vt nobis cedat in cibum? Reſpondet, eiuſmodi cibum ijs prouiſum eſſe, quibus fortitudo corporum neceſſaria eſt, non Chriſti famulis, ea fortitudine minime egentibus. Addi poteſt ex Clemente Alexandrino [c] eum cibum pruritum carnis mouere, nec caſtitati commodare, ac proinde caſtitatis ſtudioſiſſimum S. Antonium abhorrere ab eo par fuit. Quare ſus appicta S. Antonio, planè alio pertinet.

2 Paſſim refertur ad ſanitatem brutis animalibus exoratam. Ita Molanus, [d] qui addit, in proteſtationem & impetrationem beneficij præſeruationis animalium, pleriſque locis ali à cõmunitate porcum, quem S. Antonij nominant. Verùm difficultatem contra hoc facit nola S. Antonio appicta, quam plerique ad eam animalium tutelam referunt vt infra dicemus. Non videtur autem cõgruum,

duplex

[a] c. 6 vitæ alias 2.

[b] l. 2. in Iouin.

[c] lib. 5. ſtrom.

[d] l. 3. de imag.

duplex eiuſdem beneficij ſymbolum, S. Antonio appingi. Ea verò nutritio porci expenſis publicis in honorem S. Antonij, poſſet admodùm inſulſa videri, niſi fine extrinſeco religioſo condiretur. Quid enim refert ad honorem Sancti viri, nutritio immundi animalis, nullum cum eo nexum habentis? Itaque ſicut votum eundi in agrum in honorem S. Antonij; friuolum eſſet ac inane, quia talis materia nullomodo connectitur cum S. Antonio, vt rectè tradit Suares; [a] ita de ea enutritione nudè ſumpta pronunciandum videtur, quamuis conteſtatio beneficij à S. Antonio accepti, ſit optima, & iure collaudanda: Et ipſa quoque nutritio approbanda ſit, ſi eo fine fiat, vt porcus ſaginatus cedat denique in vſus pauperum, vel ſacrororum miniſtrorum. Alius enim religioſus finis ex quo nutritio porci, perfundi poſſit honeſtate ſupernaturali, non occurrit. Tandem ſi idcirco appingitur S. Antonio porcus, quia ſoſpitatem exorat brutis, cur potiùs ei appingitur porcus, quàm aſinus, aut equus? Fideles quippè ruſticani, magna fide, pecora ſua & iumenta omnia, in B. Antonij tutela collocant.

[a] l. de voto cap. Et nos fusè in Heterocl. Spirit. p. 1. ſ. 2. p. 2. n. 7.

3 Huic poſtremo incommodo, videtur occurri poſſe, prolata duplici narratione quæ habetur apud Aymarū Falconē. [b] Prior eſt, quam ex quodam Alphonſo recitat, nimirum quod Barchinonenſes, primi S. Antonio appinxerint porcum, moti miraculo quod S. Antonius

[b] 1. p. hiſtor. Ant. c. 48.

tonius

tonius vi diuina Barchionem delatus, in porcello eſt operatus. Cum enim ante fores Regij Præpoſiti ſtaret ignotus, ſcropha fœtum quem paulo ante cladum enixa fuerat, ore prehenſum ad pedes Sancti Viri aſportauit, immenſo grunnitu expoſcens fœtui ſuo ſanitatem, quam à S. Antonio, adhibito ſigno crucis, exorauit. Vnde factum eſt, vt Vir Dei agnitus, ad Regem ex graui morbo iacentem deduceretur; & Rex cum ciuitate vniuerſa ad Chriſti fidem conuerteretur, tanti boni initio à porcelli curatione facto: quem propterea viro ſancto appingi, grati ciues inſtituerint, pia imitatione ab alijs expreſſi. Hæc tamen manifeſtam fabuloſitatem redolent, & omnibus retrò antiquis incomperta fuerunt, tametſi Alphonſus ille qui iſta retulit, [a] ex codicibus Arabicis accepiſſe ſe prodat, quæ de S. Anionio refert.

[a] de eo Alphonſo. 1. p. c. 9. hiſt. Ant.

4 Addit Aymatus, ſecundam narrationē, de re ſuo æuo in Nouarienſi agro patrata. Ibi namque vidua cuius omnes propè facultates paucis ſuibus quos domi alebat, continebatur; coacta domo abſcedere ob ſæuientem luem, ſues abſque pabulo dimiſit, B. Antonio enixè commendatos. Regreſſa verò domum, poſt dies triginta & ampliùs, ſues reperit optimè paſtos, & egregiè ſaginatos, magna de S. Antonij præſidio celebratione. Hæc narratio nihil abſurdum aut ſuſpectum continet. Non poteſt tamen ei inædificari ſymbolum de

quo

quo agimus, cuius appoſitio eſt longè antiquior. Et in hac ipſa narratione diſertè additur, mulierem ad ſues B. Antonio commendandos, fuiſſe permotam recordatione ſuis B. Antonio appicti.

5 Cur igitur ſus, potiùs quàm aliud quodpiam brutum, B. Antonio appingatur, ægrè aſſignari poteſt valida ratio, ſi ſiſtamus in præſidio quod brutis à S. Antonio ſuppetit; cuiuſcunque enim generis bruta, Beato huic cœliti ſoſpitatori commendari, ex vſu eſt; & euentus fœlix ſæpè vota ſecundat. Quamuis enim poſſumus de ſanctis aſſerere, quod S. Paulus de Deo dixit, *numquid de bobus cura eſt Deo*? Tamen charitas qua Sancti hominem proſequuntur, benè eos afficit erga ſeruitutem hominum (quo nomine bruta inſignit Pſaltes, interprete Gregorio Niſſeno[a]) ſicut è contrario, Satan quo odio flagrat in hominem, eodem pecora & armenta homini addicta perdere ſatagit; Itaut quod d. Hilarion (S. Hieronymo teſte), admonebat, odio hominis ad quem attinent, plerumque ea corripiat, & intrmisgreſſus diuexet, non ſecus ac homines energumenos, quod ex Origene notare memini in Naturali Theologia;[b] itemque ex S. Hieronymo, & S. Gregorio: & addendum eſt exemplum luculentum quod legitur in actis S. Auxentij Abbatis quem in via ad Marcianum Imperatorem & Synodum Chalcedonenſem, produnt incidiſſe in agricolas,

[a] Orat. 5. in orat. Domin.

[b] d. 3. nu. 142.

las, lamentantes propter ſuas beſtias à Dæmonibus correptas, non ſecus ac corripiuntur homines: & miſertum agricolarum, expuliſſe à beſtijs Dęmones à quibus occupabãtur. Fiunt igitur etiam in bruta immiſſiones, per Angelos malos, eáſque immiſſiones in hominum gratiam arcet plerunque B. Antónius. Sed nihil eſt peculiare hac in parte, pro ſuibus: ac proinde ambiguum reſtat, cur ſus potius quàm aliud brutum, B. Antonio appingatur.

6 Protrita huius ſymboli notione ſic diſcuſſa, occurrit quod ait Molanus, [a] appingi B. Antonio porcum ſub eius pedibus iacentem, vt ſignificetur ſubactus ab eo viriliter Dæmon. Nam eſſe porcum genuinam dæmonis imaginem, neminem latet. Et non modo creditus Auguſtinus [b] cum Fratribus Eremitis agens, ſed etiam iam olim aliqui, teſte S. Ambroſio, [c] porcos quos ſiliquis pauit adoleſcens prodigus, expoſuerunt, de gregibus dæmonum, inanitate virtutum apparentium ſaginatis. Eodem pertinet phantaſtica & ridicula fabula, (ita enim de ea pronuntiat S. Auguſtinus) à quibuſdam attributa Maſſalianis Hæreticis; qua ferebatur, ex ore hominis, cum purgatus ad Deum reuenit, viſibiliter erumpere porcam cum porcellis ſuis; & ſubintrare item viſibiliter, ignem innoxium & non comburentem. Eo quippè igne, vt familiari in ſcripturis ad id ſymbolo, Spiritum San-

[a] lib. 3. de pict. c. 5.

[b] ſer. 72.

[c] lib. 7. in Luc.

Sanctum inſinuabant; porca verò & porcellorum exitu, Satanæ & partiariorum eius ſpirituum, diſceſſionem ab homine ad Deum regreſſo, denotabant. Nemo verò non vide, quàm bellè ſuibus & Demoni conueniat, in tanta vtrorumque fœditate, & lutulentiæ amore. Quàm porrò inſignes & iuges de Dęmonibus victorias reportarit B. Antonius, vita eius vniuerſa loquitur, eſt què vulgariſſimum. Videndus de pugnaci vita B. Antonij in deſerto, S. Athanaſius. [a] Ac proinde quod ob hanc cauſam porcus ad eius pedes iacens appingatur, non inueriſimiliter dicitur. a c. 4. 7. & 8. & a c. 16.

7 Non ſic Chriſtianorum plerique. Tantum enim abeſt, vt Satanam ſub pedibus contritum calcent, vt miſerè eius pedibus & roſtro ſubiaceant, ab illis proterendi & infœliciter diſrumpendi. Horrendum ſpectaculum renouat, quod Nazianzeno [b] teſte præbuerunt truculenti Arethuſij, quo tempore per Iuliani deſertoris fauorem, dirum furorem, Conſtantini & filiorum Imperio ſub pectore coctum, exprimere impune potuerunt. Immanes, & lupis Arabicis ac tygridibus truculentiores, correptas Virgines Dei; veſtibus in omnium conſpectu planè nudatas, (proh inceſtantem oculos fœditatem; o Chriſte quomodò tuam illius temporis patientiam exponam;) proſciſſas; Quid hæres & horres calame, ad crimen non tuum? Proſciſſas inquam atque diſſectas, poſtquàm crudis b orat. 3.

ca-

earum hepatibus ſe ingurgitarunt, ingeſto ventribus ſuillo pabulo, hordeo inquam viſceribus fiſſis inſerto, ferociſſimos porcos immiſerunt, qui ſimul cum hordeo carnes exederent ac laniarent. Erubeſcimus ſimul & horreſcimus, ad eam ferarum humanos vultus præferentium, in homines, in virgines ſacras, immanitatem, qua uix ſcio an vlla vnquam efferatior ſit audita. Et tamen idipſum plerique Chriſtianorum, in dies præſtant in ſemetipſis. Appetiti enim à Satana, fœdè ei ſubiacent; nec modò illi pabulum ſuggerunt, Satanam innoxiorum ſanguine alentes, quod feciſſe Arethuſios ait Nazianzenus, [a] & factũ ab omnibus Ethnicis per ſuperſtitionum ſiliquas affirmat Chryſologus, [b] prodigum porcos paſcentem deſcribens; ſed etiam ſe ipſos pabulatorium alueum porcis ſubijciunt, horrendo & fędo ſpectaculo.

a ibidem

b ſer. 5.

8. Exiſtimarim verò, non minus commodè ſymbolo illo porci iacentis ad Sancti Viri pedes, inſinuari triplex genus porcinorum hominum ab eo domitorum ac proſtratorum; Ethnicos dico & Hæreticos, ac voluptuarios Chriſtianos. Ac Ethnicos quidem, iure cum porcis conferri, liquet ex pereleganti Lactantij ratiocinatione, de cauſa vetitæ Iudęis carnis ſuillæ; quod interdictum Lactantius ſpectaſſe præter cœtera ait; [ne Iudæi terrenis ſeruirent ſimulachris, ac ſe luto inquinarent; Luto enim ſe oblinunt, qui Deos, ideſt qui lutum

c l. 4. c.

tum terramque venerantur.] Rectè terram veneratos ait Ethnicos. Omnes enim Dij Ethnicorum, è terra oriundi erant. Et idcirco quod acutè obſeruauit S. Auguſtinus [a], Magna Mater Deorum omnium, ipſa eſt terra; quo inſinuabatur, Deos Ethnicorum è terra eſſe. Luto igitur ac terra ſe inquinat, eſtque amica Luto ſus, quiſquis Idolis procumbit. Quod tamen videam, ingloriam fore de Ethnicorum vulgo victoriam, ſed longè ſplendidiorem fore ſi de ijs qui inter eos potentia vel ſapientia claruerunt, reportetur; oſtendendum eſt, vtrumque illud hominum genus, inter Ethnicos eminens, à S. Antonio proſtratum eſſe, & rectè exprimi per ſuem ad eius pedes iacentem.

a L. 6. de Ciuit. c. 8.

9 Inter potentes, qui potentia ad carnis curam in deſiderijs abutuntur, porcis annumerantur. Idcirco enim iudice Euthymio [b], Nabuchodonoſor vineam Domini depaſtus, denominatur *ſingularis ferus* ſiue porcus Syluestris, ob vitam porcinam, vt notat Euthymius. Et Mahumetes, porcus; eiuſque lex porcina denominatur à Guillelmo Pariſienſi. [c] Singulare eſt, quod Metaphraſtes in Actis S. Gregorij Armeni ſcriptum reliquit, de Teridate Rege Armeniæ, qui ſacras aliquas virgines immaniter varijs modis excarnificatas dederat. Ait enim, impium illum Regem, haud ita multo poſt, inſania fuiſſe correptum, & adeò emotæ mentis fuiſſe, vt ſuas

c In pſal. 79. v. 14.

c L. de leg. c. 18.

G arro-

arroderet carnes, mutatamque fuiſſe formam eius in porcum. [Et erat Teridates extrinſecus porcus, internæ crudelitatis & cœni voluptatum, & alterius porcinæ animæ ac vitæ, ſimul imago & pœna.] Addit autem, omnes qui ei in ſanctarum Virginum nece aſſenſi fuerant, ſimili inſania fuiſſe correptos, niſi quod non erant porcorum induti ſpeciem, ſed id ſolus habuit Teridates. Id verò ne cui videatur incredibile, addit Autor. [Quod ſi quis ſit qui non ignoret, fuiſſe Nabuchodonoſorem mutatum in hanc formam, eodem modo ſciat, etiam Teridatem, eandem quam ille, ſubijſſe mutationem.] Sicut ergo Nabuchodonoſor reipſa nō fuit mutatus in bouem; Sed tantùm affectus bouinos induit, & fortaſſis alijs ſpecie bouis obuerſabatur, in quam rem fusè diſſerunt interpretes ſacri Danielis; & qui in Magos inquirunt, vel Lycanthropiam excutiunt; ita neque Teridates reipſa, ab humana forma, etiam quoad externa accidentia, eſt deiectus; Sed formam porci quam animo præferebat, extrinſecis agendi & ſe habendi modis, fortaſſis etiam externa in aliorum oculis ſpecie, præferebat. Quanquam nobis ſatis eſt, moralis & interna eius transformatio in porcum, quæ alijs pleriſque ſimilia peccantibus, eſt communis.

10 Eam ergo ob cauſam Maximianus Galerius vitæ profligatiſſimæ Imperator, iure *porcus* audire poteſt. De quo non dubitabit,

tabit, qui eius ſpurcitias, gulam, libidines, & immenſam crudelitatem, qua & imperium Romanum dirè afflixit, & Chriſtianos ſupra omnes anteriores perſequutores acerbiſſimè vexauit, apud Euſebium, [a] coram omnia oculis ſuis vſurpantem legerit. Hunc porcum, proſtrauit eximia generoſitate S. Antonius. Nam teſte S. Athanaſio, [b] truci illo & immani Chriſtianorum hoſte ſæuiente, & Alexandriam abducente fideles Chriſti famulos; B. Antonius eremo relicta, deſcendit cum eis in arenam, amore martyrij: & nec impendentium pœnarum terrore, nec vllis minis territus, animabat in ipſis tribunalibus ſanctos confeſſores: & cum ad pœnam rapiebantur, incentor patientiæ aderat; nec priùs dimittebat, quàm Domino ſuum ſanguinem reddidiſſent, à quo ſanguine Dei fuerant redempti atque abluti.

a 8. hiſt. c. 27.

b Cap. 23

11 Aduerterunt miniſtri impietatis, à Maximiano in Sanctorum lanienam adhibiti, quantum SS. Confeſſores, Antonij, & ſociorum vocibus, alacritatis acciperent. Itaque exijt ab Auguſto edictum, vt nemo Monachorum, vel iudicia frequentaret, vel in ciuitate verſaretur. Ad ferales illas voces, Monachi omnes ad vnũ receſſere. Solus Antonius, neglecto perſequutoris Imperio, hæſit; & abluto ependyte ſuo, (nomen id tunicæ monaſticæ exterioris è lana alba) alia die ſtans in loco ſublimi, vt agnoſceretur quod

erat, & Monachus ſcilicet, & Chriſtianus, quem veſtis albor decet, iuxta Clementem Alexandrinum alibi [a] allegatum veſte candente amictus, procedentem Satanæ ſatellitem ſuo prouocabat aſpectu; voluntate martyr, & impietatis miniſtris ſuperior: quandoquidem nec iniquis iuſſis ceſſit vnquam, nec intentato licet diro letho, iuuandis omni ope, & formandis præſentia ſua ſanctis Confeſſoribus, abſtitit. En igitur B. Antonio porcum ad pedes iacentem Maximiani & Miniſtrorum eius, truculentiam & efferatam potentiam.

a L. de æquiuoc. c. 5. n. 3.

12 Sapientiam Ethnicam, animalem, diabolicam, terrenam, porcinam, æque pedibus S. Antonij proſtratam videamus. Non ij modò pingues & nitidi, ac benè curata cute de Epicuri grege porci, ſed vniuerſim omnes Suillæ illius quæ de terra erat ſapientiæ profeſſores, porci habendi iudice Philone: qui expendit, ſuem à Moſe immundum ſtatui, quod diuidat vngulam, ſed non ruminet. Sic Philoſophi, benè licet & accuratè diuidentes, vt per omnes Philoſophiæ partes ab eis factum monſtrat Philo, tamen quia pabulum perceptum non ruminabant, non admittebantur in cibum probatum. [Proinde (inquit Philo,) plurimi Sophiſtæ quos vocant, magnam admirationem conſecuti apud populos, qui totum fermè orbem peragrant, gratioſi hoſpites facundiam ſuam diligentiamque oſtentantes,

tantes, deuicti affectibus conſenuerunt; & vitam in his contriuerunt, nihilo hac parte potiores viliſſimis è vulgo hominibus. Ideò rectiſſimè, Sophiſtas ſic viuentes, legislator noſter confert cum ſuibus, qui nulla re pura, ſed turbida, cœnoſa, turpique vita, ſe oblectant ad ſaturitatem vſque. Ait enim, ſuem eſſe impurum animal, quia diuidit quidem vngulam, non ruminat tamen. Sicut Camelum propter cauſam contrariam, ruminantem non bifidum vngula. Cæterum quæcumque animalia vtrumque hoc habent, pura pronuntiantur meritò; quando vtramque iam dictam abſurditatem effugerunt. Propoſitum enim ſine memoria, meditatione, iugique tractatione rerum bonarum, bonum imperfectum eſt. Quod ſi alterum accedat ad alterum, ita demum abſoluitur.] Cœnoſam & lutulentam Ethnicorum ſapientum vitam, per eorum ſapientiam ruminatione deſtitutam, nihilo meliorem, quàm eſſet turpiſſimorum quorumcunque ventris mancipiorum, Apoſtolus viuis coloribus exhibuit, ſcribens ad Romanos; & prodigioſas in eis paſſiones ignominiæ, turpiſſima reptilium & cuiuſuis generis brutorum, tanquam numinum veneratione dehoneſtatam, graphicè expreſſit; reipſa demonſtrans, cadere in illos perbellè, illud ſapientis, de ſtulta ſapientia iure expoſitum á Caſſiano; *Circulus aureus in naribus ſuis, Mulier pulchra & fatua.*

 Cum

ſis Philoſophiæ ſtudijs, artium ſuarum æſtimatione doctiſſimi.] Cum his, varia ſophiſmata quanta poſſent contentiore intorquentibus, ac præſertim naſo adunco ſuſpendentibus virum ſanctum, ob venerationem crucis de qua Chriſtus pependit; adeò ſapienter ac fortiter egit; adeò Crucis potentiam extulit, & infirmitatem ac turpitudinem Idolomaniæ ob oculos poſuit, longa & illuſtri oratione quam S. Athanaſius expaſſam retulit: vt admirantes virum, & pro ſannis à quibus cœperant, plurimum ei honorem ac cultum demiſſiſſimè deferentes, attriti ac cernui recederent; ingenuè profeſſi, magno ſibi adiumento fuiſſe tanti viri conſpectum, & ſapientia noua refertos ſermones.

14 Vnum quod S. Athanaſius eo loco præterijt, cum alijs Ethnicis Philoſophis certamen, inſigni victoria concluſum; iuuat non omittere. Eſt enim in eo id peculiare, quod homines impij non ferentes imbecillitatis ſuæ adeò clarum argumentum, ex ſubactione per hominem literarum ſecularium rudem, accitò Satanæ adiutorio, domare virum ſanctum ſunt aggreſſi. Rem narrat apud Caſſianum Abbas Serenus. Duo erant, (vt ait,) Philoſophi Ethnici, qui [deſpicientes B. Antonium, velut imperitum ac ſine litteris virum, volenteſque eum (ſi nihil ampliùs lædere potuiſſent,) ſaltem de cella ſua Magicis præſtigijs & circumuentione Dæmonum per-

turbare; Spiritus ei nequiſſimos immiſerunt, ad impugnationem hanc morſu liuoris adducti, eo quod maximæ hominum turbæ ad eum velut ſamulum Dei quotidiè conuenirent. Cumque illo nunc quidem imprimente pectori ſuo, frontique ſignaculum crucis; nunc verò orationi ſuppliciter incumbente, ne approximare quidem diriſſimi Dæmones eidem prorſus auderent, atque ad eos qui illos direxerant, abſque vllo reuerterentur effectu; & alios illi in nequitiam vehementiores rurſus immitterent; itidemque ipſis incaſſum ſuarum nequitiarum expendentibus vires, atque inaniter redeuntibus, potentiores nihilominus aduerſùs militem Chriſti victorem, iterum deſtinati, nihil penitus præualerent: Eò profecerunt tales tantæque eorum inſidiæ, tanta magica arte quæſitæ, vt per hæc euidentiſſimè comprobarent, magnam profeſſioni Chriſtianorum ineſſe virtutem, quibus illos tam ſæuæ tamque potentes Vmbrę, quas æſtimabant, ſolem lunamque ſi ad eas directæ fuiſſent, obducere potuiſſe; hunc non ſolùm nihil lædere, ſed ne ad punctum quidem, de monaſterio ſuo valuerint exturbare. Cumque pro hac admiratione confeſtim venientes ad Abbatem Antonium, impugnationum ſuarum magnitudinem, & cauſas atque inſidias patefeciſſent liuoris occulti; Chriſtianos ſe fieri protinus popoſcerunt.] En porcum geminum ad B. Antonij pedes, ipſumque

Digitized by Google

ſumque etiam Satanam, vnà cum eis, ſubactum atque proſtratum. De Idololatris porcorum nomine ſignatis, à Diuo Antonio, forti oratione, & ſcilicet diuinis operibus, ac inſigni vitæ ſanctimonia edomitis, iacentibuſque ad pedes eius; ſiuè vulgus eorum, ſiuè potentes, ſiue ſapientes ſpectes, non plura in præſentia.

15 Ad hereticos vertenda eſt oratio, quos Patres cum porcis ac ſuibus compoſuerunt; Ephrem,[a] Nazianzenus,[b] Anaſtaſius,[c] Gregorius,[d] Hieronymus[e]. Verùm cum omnes hæreſes porcinis affectibus ſordeant, & in luto ac cœno conuolui volupe ducant: tum omnium maximè id habuit Ar ana: quæ in ipſum Dei Verbum per quod facta ſunt omnia, infrunitè irruens, conuerſa, illud diſrumpere ſummo impetu & effera immanitate laborauit. Monſtrauit (quantum arbitror,) Deus porcinum Arrianiſmi ſpiritum, eo inſigni viſo quod S. Gregorius[f] retulit. Cum enim Arrianorum templum pridem clauſum, ritu Catholico expiare, in magna fidelium frequentia aggreſſus eſſet S. Gregorius, deprehenſus eſt porcus intra templum hac illacque diſcurrens, non quidem oculis peruius; ex alliſu tamen, & offenſatione omnium in quos incurrit, neminem latens; vi denique ſacræ inaugurationis templo illo extruſus: quod diuinitus prouiſum affirmat S. Gregorius, vt nemo ambigeret, exeunte porci ſpecie

a Ad 3. inter. Chr.
b Or 42.
c In Dionyſio c. 4 & 14.
d 31. Moral c. 1.
e Lib. 1. in Iouin.
f Lib. 3. dialog. c. 30.

in monte S. Antonius, ad quem cum aliquando acceſsiſſent aliqui Ariani; nequitiam eorum & doctrinæ venenum auerſatus, abſque mora illos de monte exturbauit, ſolemnem ſuum erga omnes Hæreticos morem tenens, vt extra occaſionem illos iuuandi; ne verbis quidem amicitiam præferentibus, dignari eos vellet, quod eam amicitiam, perditionem eſſe animæ diceret. Sed ab Arianis nominatim eo ſtudioſiùs cauendum cenſebat, quo erat illorum & ſubtilior malignitas, & obfirmatior peruicacia. Iiſdem tamen ſuſdeque miſcentibus omnia Alexandriæ, euocante S. Athanaſio, aliiſque Catholicis Epiſcopis, (quod & ipſe S. Athanaſius ſcriptis tradidit[a], & S. Hieronymus Caſtrutium cœcum cōſolans[b] annotauit:) deſerta in tanta Eccleſiæ neceſſitate ſeceſſionis ſuæ amœnitate, deſcendit S. Antonius Alexandriam, plenus iuſtæ irę, quod Ariani effrontiſſimè mentirentur, eadem ſecum ſentire Antonium. At ille Vrbem ingreſſus, confluente ad inſignia miracula immenſo populo; ipſiſque etiam Paganorum reliquiis & Idolorum Myſtis, auidè expetentibus frui conſpectu *hominis Dei*; (quo nomine ab ipſis quoque Ethnicis donabatur;) mentitionem impegit Arianis, & liberè apertèque profeſſus fidem Catholicam, Arium verò execratus, Deo ſermonem eius confirmante ſequentibus ſignis, immenſo Eccleſiæ bono, de Arianis triumphauit,

a In vita c. 41.
b Ep. 31.

Digitized by Google

uit, & ſibi ad pedes proſtrauit nefarios Hæreticos.

17 Voluptarios Chriſtianos; ſues ac porcos, apud Patres audire, ſi dixero, eoſdemque à B. Antonio, (vt hactenus de Ethnicis hæreticiſque monſtratum eſt,) ſalubriter domitos & ſubactos oſtendero; næ ego, optimam aliam notionem ſymboli in quo verſamur, exhibuero. Vtrumque difficultate vacat, ſed quàm breuiſſimè perſtringendum eſt, ne iuſto diffuſius excurrat oratio. Et vitam quidem voluptariam, porcorum eſſe, D. Chryſoſtomus diſertè tradit: præiuerantque Nouatianus, & Clemens Alexandrinus, atque Lactantius, inquirentes quorſum Deus, ſuem Iudæis edulem eſſe prohiberet. [Cum lex, (inquit Nouatianus,[a]) ſuem cibo prohibet aſſumi, reprehendit vtique, cœnoſam & luteam & gaudentem vitiorum ſordibus vitam, bonum ſuum non in animi generoſitate, ſed in ſola carne ponentem,] Clemens verò in eandem ſententiam diſſerens, ait idcirco vetitum fuiſſe porco veſci. [Nam porcus, quod eſt animal voluptati deditum & immundum, ciborum cupiditatem, & ſalacem in re venerea libidinem, ac inquinatam ſignificat intemperantiam; materialemque, & in luto iacentem, & quæ ad cædem pingueſcit & interitum.] Et alio loco idem interdictum expendens, cum rationem propoſitam iterat, ex voluptate cui vni ſeruit ſus; tum aliam addit, volu-

a De cib. Iudaic. c. 30.

voluptarijs quoque quadrantem; quod ſus maximè omnium brutorum, fructus effodiat, & corrumpat; nec iuxta Platonem Comicum, aliud ex ſue ad nos redeat, præter ſetas & lutum, ac clamorem. Vnde Clemens, vocat ſuem *animal maximè ſceleratum & execrandum*. Id quod Gallis exſectis perſuaſum fuiſſe, & idcirco neque ſuem ſacrificaſſe, neque manducaſſe, prodit eorum ritus deſcribens Lucianus. Et fortaſſis hanc ipſam ob cauſam, Aegyptij ſuem habebant pro animali profano, nec numerabant inter ſua numina, quibus omnes propè brutas animantes accenſebant, vt Philo teſtatur, & Abbas Apollo apud Palladium, ac Euſebius collaudans Conſtantinum. Excepiſſe tamen ſuem, & eum mactare ac comedere ſolitos Aegyptios, ideòque Deum ſuillæ quidem eſu interdixiſſe Iudæis; quæ autem Aegyptij, pro numinibus habebant, (*abominationes Aegyptiorum* vocat idcirco Moſes,) immolari ſibi iuſſiſſe, obſeruant Iuſtinus, Theodoretus, & Anaſtaſius, Nicænus. Fuit verò paucis aliquibus ſingulare in Aegypto, quod ſuem colerent, vt Damaſcenus in hiſtoria Barlaami & Ioſaphati annotauit.

18 Lactantius denique Iudaicum interdictum de abſtinentia ſuillæ carnis expendens, ſic ratiocinatur. [Cum Iudæos carne ſuilla abſtinere Deus iuſſit, id potiſſimùm voluit intelligi, vt ſe à peccatis atque immunditijs

abſti-

cutus eſt illis. Porcinam ergo ad hoc dixit. Non eris coniunctus hominibus talibus, qui cum luxuriant, obliuiſcuntur dominum ſuum. Porcus enim cum manducat, Domiuum non nouit: Cum eſurit, tunc clamat, & cum acceperit, iterum tacet.] Aequè Gregorius Nyſſenus, [a] porcis aſſimilari admonet huiuſmodi voluptarios homines. [Nam vt oculi porcorum natura in terram conuerſi, mirificarum rerum cæleſtium aſpectum non habent; ſic ánimus corporis luxu perditus, cum ad humilia, & ad ea quæ pecudum, inclinatus ſit, non cœlum amplius, neque reliquarum rerum conuenientiam & decorem cernere poterit.] Sed & Chryſoſtomus, [d] expendens exiſtentia à delicijs corporalibus damna; [Quid (inquit), deliciarum hęc fœditas, mali non inducit? Sues ex hominibus facit, imo verò etiam multo deteriores. Sus enim luto voluitur, & ſtercore nutritur: hic verò abominabilem ſibi menſam conſtruit, iniquas commiſſiones excogitans, & amores nefarios.] Porcos ad cædem paratos, appellat huiuſmodi homines S. Nilus in opere de octo cogitationibus dolens dediſci ea ratione ab homine, à quo & quorſum eſt factus.

c lib. de Virg. c. 3.

d hom. 58. in Math.

20 Agebat aduerſus huiuſmodi, Clemens Alexandrinus. [Illi inquit) inſtar vermium, in cœno & voraginibus, nempe voluptatis fluentis volutati, inutilibus & ſtultis paſcun-

tur

Digitized by Google

tur delicijs, ſuilli quidam homines. Sues enim cœno magis delectantur, quàm aquà munda; & in congeſtæ paleæ verſari cumulo, eſt quædam inſana eis delectatio, vt ait Democritus. Ne ergo ne euadamus mancipia, neque porcis efficiamur ſimiles.] Huiuſmodi voluptarios exprimebant porci illi, in quos vt ingrederentur; & vt illos ſuffocare extruſi ab Energumeno homine ſinerentur, petierunt à Chriſto, Dæmones. Audi enim S. Ambroſium id enucleantem. a [Qui ſunt iſti porci, niſi fortè illi de quibus dictum eſt, *nolite dare ſanctum canibus nec miſeritis margaritas veſtras, ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus ſuis*. Illi ſcilicet immundorum vſu animalium, vocis & rationis expertes, lutulentis vitæ ſuæ actibus, naturalium coinquinauerunt ornamenta virtutum, qui impetu feruntur in præceps, quoniam nullius meriti contemplatione reuocantur, ſed tantùm de ſuperioribus ad inferiora per improbitatis procliue detruſi, ſuffocantur in aquis; inter fluctuantia mundi iſtius, ſtrangulatorum in modum, interclufo pereuntes ſpiritus commeatu. Neque enim in ijs qui fluido æſtu voluptatum huc atque illuc feruntur incerti, vllius ſpiritus poteſt eſſe vitale commercium.] Nominatim verò, qui cum aliquando è cœno emerſerint ſcelerum, rurſus in eiſdem volutari amant, ſues lotæ in volutabrum luti reuolutæ, dicuntur ab Apoſtolo. Quo maximè

a l. 6. in Luc. c. 8.

qui

qui ſpectaſſe interdictum ſuillæ, cenſet Gaudentius. Eſtque id porcinum vitæ genus, quod qui conſectantur, vt plurimùm conculcant pedibus pretioſas bonorum ſermonum margaritas, & conuerſi dirumpunt eos à quibus pulchros illos ſermones acceperant, ipsòſque ſermones nihili faciunt; quæ eſt de eo Chriſti monito Iſidori Peluſiotæ [c] interpretatio. Cōſulto dimitto fabulas, de hominibus à Venefica Circe, ideſt à voluptate & intemperantia, in ſues commutatis, vt Socrates apud Xenophontem [d] diſſerit, & concinnè Autor de Homericis allegorijs; paſſimque Mythologi.

a lib. 1. Epi. 143.

b l. 1. de dictis & factis Socr.

21 Viuunt, (quod maximè dolendum eſt;) plerunque huiuſmodi vitam, homines Chriſtiani, oculos ſuos ſtatuentes declinare in terram, porcorum more, adeò affixi cœno voluptatum, vt non cogitent quæ ſurſum ſunt, ſed quæ ſuper terram. Scatebat Eccleſia huiuſmodi voluptarijs B. Antonij ætate, eamque fuiſſe cauſam grauiſſimæ perſecutionis, quæ ad eius vſque tempora Eccleſiam afflixit, coniectura duci poteſt ex S. Cipriano; qui æquè horrendam procellam à Decio excitatã, referebat in emollitos voluptatibus Chriſtianorum animos, non iam cœleſtia ſuſpirantes, ſed cœno ac luto infixos. Et vt de temporibus illis ſummis taceamus, quis dubitet, Chriſtianorum pleroſque, reddita tempore S. Antonij pace Eccleſiæ, in luxum ſenſim ſolutos, deſijſſe vitam cœleſtem in ter-

ris exigere; uixiſſe autem uitam lutulentam, & in fœcibus defixam, atque adeò ſuillam?

22 Viuebat, (ut ſigillatim aliquid dicam,) ipſa ferè B. Antonij ætate D. Auguſtinus, & quod ipſemet gemens poſtea referebat animalem prorſus ac brutam uitam viuebat, volutatus in carne & ſanguine: & in cœno illo adeò diu hæſit, vt non videretur, auelli & retrahi ex volutabro ſuo poſſe. Nutriebantur Romæ in croceis, benè multi: Imo Vrbs ferè vniuerſa, quantum opibus abundabat, tantum ſoluebatur delicijs, & diffluebat voluptatibus; nihil ferè minùs ſollicita, quàm ſuſtolli à terra, & deterſo luto noſtrate, ſolis inhiare cœleſtibus, de quo crebræ ſunt querelæ illius æui Scriptorum.

23 Subegitgreges huiuſmodi hominum & mulierum, S. Antonius; quà verbo ſuperſtes, qua exemplo, iam cœlo illatus. Ipſe ſanè D. Auguſtinus, a infixus in volutabro cui pridem inhærebat, cum primùm emergendi cogitatio aſpirante fortiùs Deo ſubijt animum, fatetur ſe maximè adiutum narratione de S. Antonij vita, quam primùm à Potitiano ciue ſuo, in Imperatoris palatio tunc militante, inaudiuerat: mirante Potitiano, tantum virum, ignoratum eatenus ab Auguſtino; viciſſimque ipſo Auguſtino audiēte mirabilia Dei tam recenti memoria, & propè ſuis temporibus in B. Antonio diuinitus edita, ſtupente ad tantā tamque ſibi incompertam ſanctimoniam,

a 8. Confeſſ. c. 6.

niam, diuinis innumeris ſignis teſtatam, & à tam copioſa ſanctorum multitudine informata B. Antonij inſtitutis, imitatione expreſſam. Quos inter recenſet duos Aulicos, Treueris, cum incidiſſent in codicem vitæ S. Antonij, gloriæ animalia, vt in aula aſſolet, & carnis mancipia, ſubitò ad breuem in eo codice lectionem, ſuccenſos eſſe amore cœleſtium, & relicta militia ſeculari, ſponſiſque dimiſſis quas ambo habebant, ſtiuam aratri Euangelici corripuiſſe, æmulatis ſponſos eorum ſponſis: quæ & ipſæ florem corporum Deo addixerunt, fęliciſſimè ſoboleſcente exempli ſancti ſemine, quod in cordibus Sponſorum S. Antonij vita in codice perlecta fecerat. Hæc à Potitiano narrata, ingentes omnino motus in animo ſuo excitaſſe, teſtatur ipſe B. Auguſtinus; itaut initia victoriæ quam de ſeipſo tandem reportauit, ad D. Antonium referri poſſe videantur; vt proinde appictus eius pedibus, qualis in anteriore vita erat ſingularis hic ferus, poſſit intelligi.

24 Quid Romani, viri atque mulieres, omni luxu diffluentes, ac in omnes præ copia rerum, ſoluti voluptates? Ignominioſum (proh tempora)? Romæ erat nomen Monachorum, & vile in populis nomen, teſte B. Hieronymo.a Monaſteria quippè & Parthenones, tunc temporis vni Aegypto nota erāt; in cuius regione Thebaide, ſuperſtite etiamnum B. Antonio, excitari plures ſacras man- a Ep. 16.

dras contigit, fauente numine, ſed vix B. Antonij vita Romæ innotuit, per SS. Athanaſium ac Petrum Alexandrinos Epiſcopos, Romam digreſſos ad tutiſſimum communionis Catholicæ portum, (retineo ipſiſſima S. Hieronymi verba;) cum confeſtim multi ac multæ depuduere vanitati, tanto exemplo permoti, & vitam voluptariam cum cœleſti commutarunt. Alij alibi, idem frequentes & alacres præſtiterunt. Quod cœleſtis vitæ incentiuum, obiecta lutulenta & ſuilla vita, ex lectione Actorum B. Antonij profectum, agnoſcens S. Athanaſius ea & à fidelibus, & à Paganis lectitari exoptat;[a] eo quod (vt præmiſerat,[b]) [perfecta ſit ad virtutem via, Antonium ſcire quis fuerit.] Quare quot fuerunt in orbe vniuerſo, B. Antonij adhortationibus aut exemplis, à molli & eneruì vita traducti, ad vitam omni ex parte nitentem, ac cœleſtem potiùs quàm terreſtrem, (ſunt autem innumeri vtriuſque ſexus, & cuiuſuis gradus;) tot habemus prototypa, ſymbolo ſuis ad pedes B. Antonij iacentis, repræſentata.

a In calce vitæ S. Antonij. b In ep. præfixa vitæ.

§. 9.

Liber S. Antonio appictus, quod ſymbolum?

1 QVorſum liber B. Antonio appingatur, poteſt obſcurum videri. Fuit enim imperitus. Qua ex cauſa Philoſophi

ſophi Ethnici, ægrè ferebant tantam eius famam, in tanta literaturæ ſecularis ruditate. Et nominatim leguntur [a] mirati, quomodò poſſet abſque libris degere. Ipſe etiam S. Athanaſius laudum B. Antonij egregius præco, in ipſo veſtibulo Actorum eius, profitetur eum neſciuiſſe literas, nec paſſum eſſe erudiri literis; ſed memoriam eorum quæ ex ſcripturis audiebat, illi fuiſſe pro libris; id quod etiam de eo tradit S. Auguſtinus. [b] Nec literas duntaxat ignoraſſe B. Antonium, ſed etiam contempſiſſe, affirmat Sozomenus [c]. [Literas (inquit,) neque nouit, neque magni æſtimauit; Sed bonam mentem, vt potè literis antiquiorem, & earum inuentricem, laudauit plurimùm.] Alludit haud dubiè ad diſputationem à Diuo Athanaſio [d] recitatam, de mentis præcellentia ſupra doctrinam arte quæſitam: Quam diſputationem Syneſius [e] Ammoni Aegyptio adſcribit, cum reuera ſit Antonij Aegyptij; & fortaſſis leuiculo librarij ſcripturæ compendia ſectantis errore, *Ammonius* pro *Antonio* apud Syneſium obrepſerit. Vt vt ſit, S. Antonius, tametſi ingenio & memoria plurimùm valuit, quod illę eius cum Philoſophis diſputationes demonſtrant; tamen imperitus ſcientia fuit, nec libros euoluit vnquam, quę illi ſors cum multis viris ſanctiſſimis communis fuit, qui eas literas neſciuerunt è libris hauſtas, quas multi qui ſciunt eas, Sancti non ſunt, vt D. Auguſti-

a Lib. 6. vitæ Patrum libello 4. n. 16. & in vita c. 45.

b Lib. 1. de doct. Chriſt. in Prologo.

c Lib. 1. c. 13.

d cap. 45.

e In Dione.

a 1. retr. c. 3. nus a optimè dixit, corrigens quod in libris de Ordine multùm tribuerat liberalibus diſciplinis; in quibus conſtat pleroſque homines Dei cœcutiuiſſe. Nimirum Deus ſtulta mundi conſulto elegit, vt confundat ſapientes: & inter eos quos aſſumpſit ad mundi defatuationem, non eſt annumeratus *ſapiens aut Scriba:* id eſt (iuxta vim Græcæ vocis,) *literatus*. Voluit ſcilicet Deus nos docere, quæ eſſent chariſmata meliora: & quemadmodum in magnitudine corporea, Gigantes quos minimè omnium habuit acceptos, paſſus eſt cæteris præcellere, vt iuxta prudentiſſimam D. Auguſtini b animaduerſionem, agnoſceremus corporum magnitudinem non magni faciendam eſſe ſapienti; ita voluit, ſuos, de mundana literatura è libris petita, mundi ſapientibus concedere.

b 15. ciu. c. 23.

2 Non me latet, Symphorianum Champerium epiſtola præfixa latinè editis S. Antonij epiſtolis, (non ab ipſo Symphoriano latinè factis, vt perperam ſcripſit Poſſeuinus, c ſed eius opera Lugduni vulgatis;) S. Antonium celebrare ab inſigni doctrina, quam inde confirmat quod ab Aegyptijs ſacerdotibus ſit euocatus, vt ſymbolo S. Antonij ſubſcriberet. Nec patitur Antonium literarum rudem dici; ſic enim Athanaſius & Dionyſius, rudes literarum æquè habendi eſſent, à quibus & à reliquis Aegypti ſacerdotibus, B. Antonius in prædictum finem, ob docti-

c In Appar. Ver. Anton.

doctrinæ famam eſt euocatus. Alia ibi de S. Antonio, & de alijs, habet Champerius, quæ eius ruditatem in illius ætatis rebus confirmant. Et nominatim quod mulos altari calces illidentes, in viſu S. Antonio obiectos, accipit de perſecutione Iuliani Apoſtatæ; cum diſertè S. Athanaſius viſum illud ad Arianorum motus retulerit. Maximiano item Imperatori præ martyrij cupiditate ſe ſtitiſſe S. Antonium ſcribit; qui non Maximino, (is enim iuxta Baronium, non Maximianus, eam perſecutionem inferebat,) ſed Iudici inferiori ſe ſtitit, vt S. Athanaſius diſertè habet. Minùs ferri poteſt, quod ibidem habet Champerius, S. Antonium deſcendentem per Thebaidem, viſitaſſe Didymum epiſcopum Alexandrinum. Non eſt quod de iſtis explodendis ſim ſollicitus, cum ſint per ſe abſurda. Quis enim ignorat, Didymum à prima ætate cœcum non fuiſſe Alexandrinum Epiſcopum? Aut quomodo S. Athanaſium, quem Champerius, eo ipſo tempore cum Didymo Alexandriæ floruiſſe profitetur, deijcit de gradu Alexandrini Epiſcopi? Qui in tam paucis circa res illius æui tam multa peccauit, minùs mirum eſt, quod circa S. Antonij doctrinam, ſit hallucinatus. Igitur S. Antonium non præcelluiſſe humanæ ſapientiæ gloria, dandum vltrò eſt: debetque ad eius decus, plusquam ſufficiens haberi, quod in eo valuerit illud ſapientis, iuxta D. Gregorij a inter- a b.mor. c. 4.

interpretationem, de rudibus, cœlum capeſſentibus; *Stellio manibus nititur*, *& moratur in ædibus Regis*. Vt quid ergo liber, qui non ignorantiam ſed ſcientiam præfert, B. Antonio appingitur?

3 Reſponderi inprimis poteſt, quod inſinuat Petrus Damiani, [a] ipſummet B. Antonium, fuiſſe librum qui toto orbe vitalibus literis exaratus legatur; idque libro illi appicto inſinuari. Scribebat Petrus Damiani ad Ariprandum Monachum, qui minùs quietam exigebat vitam, eo quod literis ſecularibus imbutus non eſſet. Eum Petrus Damiani firmare in ſancto propoſito nititur; cum multis in ſanctæ ſimplicitatis laudem cumulatis; ac nominatim ex Chriſti conſilio, [b] qui vt olim Samſon per maxillam aſini, ita ipſe per Idiotas ſecularem ſapiētiam euertit; tum etiam exemplis ſanctorum inſignium qui literas non didicerunt, vt Benedicti, Martini, Hilarionis, & maximè B. Antonij, [qui non eſt rhetoricatus, ſed toto conſpicuus orbe, literis (vt ita loquar,) vitalibus legitur.] Eſt ergo B. Antonius liber exaratus vitalibus literis, quia omnes qui in eo libro ritè legunt, id eſt qui B. Antonij geſta imitatione exprimunt, vitam inde percipiunt ſempiternam. Sicut enim Apoſtolus [c] Corinthios alloquēs, vocabat eos ſuam epiſtolam, *Epiſtola noſtra vos eſtis, inſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis*

cordis

a Op.45. c.5.

b Ib.c.3.

c 2.Cor.3

cordis carnalibus; ita omnes ſancti, ſunt libri, ſeu tabulæ, inſcriptæ ſpiritu Sancto, de quo pluſcula S. Ambroſius, libros in fine ſeculi aperiendos exponens. [a] Quo etiam Autore, homo *deleri* dicitur *à facie terræ*, quia eſt quaſi quædam ſcriptura. Sicut etiam S. Epiphanius, hominis generationem, *ſcriptionis* nomine, expreſſam à Pſalte annotat: Ex quo habetur, hominem ſecundùm eſſe naturale, ſe habere vt quendam librum: & proportione ſeruata, idem eſt de regeneratione, & eſſe ſupernaturali per eam collato. Ipſeque inprimis Chriſtus, dicitur *liber ſcriptus intus & foris*, quod Etherius & Beatus, fusè & pulchrè proſequuntur. Proportione igitur ad eum ſeruata, electi ſunt veluti libri intus ac foris exarati: & talem præter cœteros exhibuit ſe S. Antonius, in quo maiuſculis characteribus, mirabilia Dei legenda omnibus ſunt expreſſa, à calamo Scribæ velociter ſcribentis. Inde eruditio cœleſtis & ſapientia diuina hauritur. Hæc itaque poteſt videri cauſa, appicti S. Antonio libri; quamuis ſecularis ſcientiæ imperitus ac rudis eſſet. Pia, ſed nonnihil remotiùs petita & obtorta cogitatio.

a In Pſ. 1 fin.

b lib. 1. contra Elipand.

4 Videri fortaſſis ſimplicius poſſit, dicere aſſignari S. Antonio librum, quia tametſi ſapientia ſeculi fuit deſtitutus, fuit tamen cœleſti ſapientia, citra laborem inſtructiſſimus, & Theodidactos. Ita enim de eo diſertè habet

Digitized by Google

a c. 38. vitæ. het S. Athanaſius. a [Habebat (inquit,) etiam iſtiuſmodi donum. Si cuius rei ſedens in monte ignarus fuiſſet, & eius ſecum inquireret notionem, oranti ei à Domino reuelabatur: & erat ſecundum quod ſcriptum eſt, *à Deo doctus.*] Id quod continenter illuſtrat exemplo, reuelati eidem ſtatus animarum poſt mortem, cum pulſatus interrogationibus de eo ſtatu fuiſſet. S. Auguſtinus, b B. Antonium, *Sanctum* (vt vocat,) *& perfectum virum*, teſtatur ſine vlla ſcientia literarum, ſcripturas diuinas & memoriter audiendo tenuiſſe, & prudenter cogitando intellexiſſe; Similiter atque quidam ſeruus barbarus Chriſtianus, quem ibi ſubnectit, nullo docente homine, literas ipſas in plenam notitiam, orando vt ſibi reuelarentur, accepit; triduanis precibus impetrans, vt etiam Codicem oblatum, ſtupentibus qui aderant, legendo percurreret. Hæc cauſa appicti S. Antonio libri, non eſt inidonea: verè enim refertus fuit eximia ſapientia cœleſti, quam probauit reuincens Philoſophos Ethnicos ac Hæreticos, vt in eius vita minutè deſcribit S. Athanaſius. c Apud Caſſianum quoque, d aliquoties, tanta ſapientia, de rebus diuinis, & deuitatione inſidiarum Satanæ differens inducitur S. Antonius, vt de eius cœleſti eruditione dubitari non poſſit.

b in Prol. 11. de doct. Chri.

c à c. 41. ad 49.

d collat. 2. c. 2. colla. 9. c. 31 col. 24. c. 11. & 12.

5 Cauſam aliam appicti S. Antonio libri, ſuggerit Aymarus Falco, e ex ſcriptis ab eo epi-

e 1. p. hi. Ant. c. 48

epiſtolis, diuinæ illius qua abundauit ſapientiæ, locupletiſſimis teſtibus. Agnoſcit eas epiſtolas ſeptenario comprehenſas S. Hieronymus, vocans *epiſtolas Apoſtolici ſenſus atque ſermonis*. quarum præcipuam ait eſſe, quæ data eſt ad Arſenoitas. Exciderunt inſignes literæ, ad Conſtantinum Magnum, & eius liberos Conſtantem atque Conſtantium datæ, referente S. Athanaſio. a Cum enim crebro ad eum quaſi ad patrem miſſis litteris; obſecraſſent vt reciprocis eos ſcriptis hilararet, quanquam aliquandiu anceps fuit S. Antonius, an ſibi Monacho, agendum per litteras cum tantis principibus eſſet: tamen in gratiam fidei Chriſtianæ ab eis ſuſceptæ, vrgentibus fratribus, conuenientia reſcripſit; collaudans idololatriæ per eos abiectionem, & ſuſceptum veri numinis cultum: deinde commonens ne tumerent ob regiam poteſtatem, nec ſe homines eſſe dediſcerent: ſed clementiæ circa ſubiectos, & iuſtitiæ, ac ſubleuationis inopum meminiſſent; vnumque ſupremum ac ſempiternum eſſe Regem omnium Chriſtum Dominum, perſuaſum haberent. Quibus literis ſuſceptis, vehementiſſimè lætatos pios Principes, teſtatur qui hoc earum argumentum compendio retulit S. Athanaſius. Interciderunt (vt dixi) ipſæ epiſtolæ ad hos Principes. Sicut etiam exciderunt quas ad S. Hilarionem datas à B. Antonio eſſe, prodit S. Hieronymus, a vel ob ſo-

lâs

a in vita S.Hilario nis.

las tamen illas ſeptem quæ ſuperant, S. Hieronymus, S. Antonium inter ſcriptores Eccleſiaſticos numerauit. a Fuit qui ſcriptiones S. Antonij auctiores faceret, duobus libris ſermonum ſiue locorum communium; Sed hæc nimis pinguis hallucinatio eſt, cum ij ſermones Antonij Meliſſæ, ſcateant allegationibus Doctorum, multis ſeculis B. Antonio poſteriorum, vt Baſilij, Niſſeni, Chryſoſtomi, Nili, Damaſceni, Photij.

a Trith. de ſcrip. Eccl.

6 Alia cauſa appicti B. Antonio libri, quã idem Aymarus Falco, præter proximè propoſitam adducit, eiuſdem farinæ videtur cum ſuperiore. Exiſtimat enim hunc eſſe libellum precatorium, cuius attributione ſignificetur perpetuum, & ardens in S. Antonio orandi ſtudium. Vnde ſicut inter nos, ex vſu eſt, perſonas pias libellos precatorios circumferre, & in templis aut alibi, de libro orare, ita S. Antonium, vt eius orandi ſtudium ſignificetur, pingi cum libro. Nec eſt ſanè dubium, quin S. Antonius eſſet orationi addictiſſimus, vt ſupra attigimus, & tota de eius vita narratio clamat. Tamen idcirco minùs arridet hæc ratio, quod eius orationes non funderẽtur ex libro, neque ex perſcripta verborum formula. (Orationem legitimam ſiue dominicam ſemper excipio.) Vnde nocte præſertim prorogabat orationem,[a] & de Solis exortu expoſtulabat, quod tenebras orationi amicas diſpelleret. Eodem porrò vel etiam potiore iure,

b Caſſ. col. 9. c. 30.

re,

re, dicere potuiſſet Autor cum quo agimus, S. Antonium lectioni ſacrorum librorum iugem operam nauaſſe; & idcirco pingi cum libro. Nam tametſi dicitur rudis fuiſſe literarum, non tamen cenſendum eſt eo vſque rudem fuiſſe, vt ne legere quidem noſſet adoleſcens nobili loco natus, vt in veſtibulo actorum eius aſſeritur. Imo eum in fratribus quibuſdam eſſe ęmulatum legendi ſtudium diſertè habet S. Athanaſius. [a] Non erat ergo legendi imperitus. Si itaque illa huius ſymboli notio quam excutiebamus, placeret; (ſignificari ſcilicet eo libro ſtudium orãdi quo S. Antonius tenebatur,) æquè videretur dicendum, innui eo ſymbolo lectionem ſacram, iugem & intentam, in S. Antonio.

a c.9.vitæ n. 8,

7 Poſſit quis non abſurdè cenſere, appingi S. Antonio librum, tanquam partem Schematis Philoſophici. Eſſe enim Monachos Chriſtianos, (quorum Princeps S. Antonius,) Dei Philoſophos, ratum eſt apud Græcos Patres, vt dicam §. ſequenti agens de baculo. In expreſſione autem Philoſophi, compræhenſum fuiſſe libellum, intelligimus ex Luciano *in bis accuſato*, vbi Iuſtitia expoſtulans cum Ioue de Socratis calamitatibus, audit ab eo. [Peregrina adhuc pleriſque tum Philoſophia erat, paucique etiam tum philoſophabantur. Quare meritò ad Anytum & Melytum, fora tum inclinabant. At nunc, an non vides, quantum vbique palliorum, & baculorum,

Digitized by Google

lorum, & perarum, & vt nuſquam non profunda barba. & libellus in ſiniſtra? Atque omnes adeò pro te philoſophantur.] Subdit multa de ingēti multiplicatione Philoſophorum, quos (vt vides,) libello in ſiniſtra inſtructos exhibet. Quid ſi igitur qui emblematicam hanc S. Antonij picturam primi expreſſerunt, S. Antonium ſpecie Philoſophi Chriſtiani exprimentes, hanc Philoſophici Schematis partem noluere prætermiſſam? An eodem ſpectarent libelli illi quos à Monachis quibuſdam aſſiduè geſtatos, vt in eos anxiè referrent cogitationes, & motus animi ne memoria exciderent, poſſentque ſenioribus conſcientiarum arbitris pandi, vt eſt apud Climacum, haud facile dixerim. Potuit enim hæc eſſe imitatio compoſitionis externæ Philoſophorum externorum, quorum tunc ſupererat non exiguus numerus: Ita tamen, vt quod Philoſophi Ethnici ad vanam gloriam referrent, (quippè Philodoxi potiùs quàm Philoſophi, vt ſcitè dixit Iuſtinus apud Euſebium 4. hiſtor. c. 15.) hoc à Chriſti Philoſophis, ad perfectam puritatis animi & humilitatis adeptionem ſit relatum. Valeant omnia hactenus propoſita, quantum poterunt.

8 Germana tamen & prę cæteris probanda ratio appicti S. Antonio Libri, repetenda eſt ex reſponſo illo D. Antonij quod Socrates [a] his verbis retulit. [Cuidam ex eorum numero, qui id temporis Sapientes ſunt habiti,

Digitized by Google

biti,ad Antoniũ illum iuſtũ accedenti, querétique quo pacto poſſet vitã ſuſtentare, ſolatio illo quod ex libris capi ſolet orbatus; reſpondit: meus liber, ò Philoſophe, eſt natura rerum à Deo conditarum; quæ quotieſcunque animo lubitũ eſt meo, libros ipſius Dei ad legendum ſuppeditat.] Eadem recitantur in libello de verbis ſeniorum, videturque hinc manaſſe, crebra apud Patres celebratio libri creaturarum in quo Deus legi poſſit à mortalibus. Chryſoſtomus [a] ſanè tractans illud Pſaltis, *magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius*, eleganter ſtatuit Vniuerſum opus creaturæ,eſſe datũ homini pro libro & literis,nõ modò ad inuiſibilia Dei per ea quę facta ſunt intellecta coſpicienda, quem huius libri vſum eruit ex Apoſtolo, [c] ſed etiã ad vitæ noſtræ ac morum conformationem. In quam rem quæ ex cœlis & aſtris, aqua item & terra, & animalibus, ac plantis, & floribus ad ſanctam vitã ſuppetunt documenta, egregie proſequitur. Idem expendens locum Pſaltis [d] de enarratione cœlorum, gloriam Dei quauis tuba clariùs, enunciãtium, ſic ſcribit in hanc ſententiam. [Non dixit Propheta ſimpliciter, *Cœli loquũtur gloriam Dei*, ſed *enarrant*: hoc eſt *alios etiam inſtruunt, ac pro diſcipulis habent Vniuerſum genus humanum*, & in medio propoſita maxima Schola, librorum ac literarum loco, naturæ ſuæ pulchritudinem, Idiotis, Sapientibus, & omni-

a l. 6. vit. libel. vlt. nu. 16.
b in pſal. 110.
c Rom. 1
d pſ. 18.

omnibus contemplandam præbent; & tanquam in libro, inſidentem ipſis de Dei ſapientia ac virtute doctrinam.] Alia ex Chryſoſtomo in hanc rem benè multa ſignare memini in faſtigio Scalarum à viſibili creatura ad Deum.

9 Aſtipulatur optimè Proſper, expendens dictum Pauli,[a] *non ſine teſtimonio ſeipſum reliquit.* [Quod eſt autem (inquit)[b] hoc teſtimonium, quod ſemper domino deſeruiuit, & nunquam de eius bonitate ac poteſtate, conticuit, niſi ipſa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius, diues & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulę præbebantur; vt in paginis elementorum, & voluminibus temporum, communis & publica diuinæ institutionis doctrina legeretur? Cœlum ergo cunctaque cœleſtia, mare, & terra, ac omnia quæ in eis ſunt, conſono ſpeciei ſuæ ordinationiſque concentu proteſtabantur gloriam Dei, etiam prædicatione perpetua Maieſtatem ſui loquebantur Auctoris.] Idem alibi, Demetriadem muniens aduersùs aconita Pelagij. [Omnia elementa mundi, & Vniuerſæ creaturarum naturæ, hoc ipſa ſui exigunt ſpecie, vt inuiſibilia Dei per ea quę facta ſunt, intellecta conſpiciantur: Et in pulchritudine cœli & terræ, quædam ſunt paginæ ad omnium oculos ſemper patentes, & auctorem ſuum nunquam tacentes: quarum

pro-

a Ac tor. 14.

b 2. de vod. gen.

proteſtatio, doctrinam imitatur Magiſtrorũ, & eloquia ſcripturarum.] Hic igitur propriè eſt liber creaturarum, qui S. Antonio appingitur. In eo vir ſanctus, iugi & indefeſſa lectione perſpexit mirabilia Dei; & ſapientiam ac bonitatem per omnia opera eius reſperſam, ſummo ſuo cum fructu conſpexit; & incerta & occulta ſapientiæ Dei deprehendit. Quod enim Niſſenus [a] egregiè proſequitur, omne genus notitiæ Theologicæ, ex accurata peruolutatione huius voluminis creaturarum, hauriri poteſt. Ac proinde S. Antonius, qui hunc codicem nunquam de manibus poſuit, in doctrina cœleſti & ſcientia ſanctorum, mirabiliter profecit.

[a] orat. de ſis qui præmaturè abripiuntur.

§. 10.

Baculus eidem cum libro manui conſertus, quid præferat.

1 EIdem manui qua B. Antonius librum geſtans depingitur, implicatur baculus: quem non eſt quod quis exiſtimet, vſui dumtaxat illi fuiſſe ad vſum viæ, vel ad fulciendam corporis imbecillitatem in graui ætate. Nam iugis B. Antonio fuit vſus baculi, quamuis in prædictis occaſionibus, longe certiſſimum ſit, aſſumptum fuiſſe ab eo baculum. Sic enim B. Hieronymus, deſcribens eius peregrinationem ad veſtigandum S. Paulum; [illicò (inquit), erumpente luce, Vene-

Digitized by Google

nerabilis Senex, infirmos artus baculo regente ſuſtentans, cœpit ire velle quò neſciebat.] Et paulo poſt, cum de homunculo fronte cornibus aſperata, qui S. Antonio accurrit communem Deum profitens. [Admirans quod eius poſſet intelligere ſermonem, & baculo humum percutiens, aiebat: Veh tibi Alexandria.] Aequè in Hilarione, deſcribit eum iter arripere conantem, cum pluſquàm à decem millibus hominum abſcedere prohiberetur, immobilem ad preces, & baculo arenas diſcutientem. Hæc igitur baculi à ſenibus & debilibus vel viatoribus vſurpatio, non depoſcit conſiderationem noſtram: cum non is ſit baculus qui B. Antonio appingitur, ſed is quo in vniuerſa vita eſt vſus, ex quo Dei obſequio in eremo ſe addixit. Itaque non ſunt huc adducendi Cluniacenſium baculi, de quibus S. Bernardus a expoſtulabat, quod vt ægri apparerent, & indulgentia ægris conceſſa frui poſſent, cæteroqui benè curata cute homines geſtarent baculos. Cum enim ægri videri ac debiles vellent, baculi quibus vtebantur, pertinent ad eos quos ſepoſuimus.

a In Apol ad Gul. Abba.

2 Baculus igitur qui S. Antonio appingitur, is intelligi debet, quo vſus eſt ab initio aditæ eremi. Ex quo enim ſerui Dei ſecedebant à ſeculo, & eremum petebant, geſtabant baculum. Ita de Monachis Aegyptijs teſtatur Caſſianus, b qui ait id factum exemplo Eliſæi, qui ſuſcitaturus Sunamitidis filium, præmiſit

b p.2. de pro. c. 31.

miſit ſeruum cum baculo, in typum legis; quæ ſicut illud baculum, (retineo Proſperi verba,[a]) viuificare non potuit. Teſſera igitur Monachiſmi apud Aegyptios olim, erat baculus, vt apud S. Iſidorum Peluſiotam[b] videre eſt. Et idcirco monachi iacentes in lecto, nec ad carpendum iter idonei, retinebant ſuum baculum, vt videre eſt in exemplo illius Senis, qui è monaſterio in quo pridem cum grauiſſimo morbo colluctabatur, exportatus eſt in cellulam ancillæ Dei, quæ eum ſibi ſubleuandum & curandum expetierat, ibique cum charitate per tres annos eoque amplius, æger & ad quoduis iter ineptus ſedulò piæ virginis miniſterio recreatus, ſuſpicionem fœdi cum hoſpita ſua commercij, apud homines mente corruptos de eis ſecundùm mẽtis ſuæ ſcabiem pronuntiantibus excitauit. Eam verò indigniſſimam ſuſpicionem obliteraturus, rogauit Patres qui ad moribundum magno numero conuenerant, vt tollerent baculum ipſius atque plantarent: nec dubij eſſent, ſiquidem ipſe labe circa virginem hoſpitam vacaret, quin radices ageret, & ferret fructum in tempore ſuo, quod reipſa accidit. Hic ergo æger à tot annis clinicus, cui baculus nullo ad viam vel inceſſum vſui erat, baculum tamen, ſuum retinuiſſe videtur, tanquam Teſſeram Monachiſmi eo tempore. In regula certè S. Pachomij[c] in ſupellectile monacho neceſſaria, numeratur bacillus. Et

a p. 2. de prom. c. 31.

b Lib. 1. ep. 92.

c Cap. 81

idem habetur in doctrina S. Orefreſis. Nam quæ ibi ex Interprete dicitur *virga*, idem eſt quod *baculus*.

3 Ex eodem vſu, eremitæ Auguſtiniani iuſſi ſunt baculos ſemper geſtare manibus, vt videre eſt apud Auctorem ſermonum ad fratres in eremo; [a] agnoſcitque etiam hunc ſui Ordinis vſum Iordanus de Saxonia. [b] Et in diplomate Gregorij Noni cuius initium eſt, *Dudum apparuit*, menſura longitudinis baculorum illorum, decernitur quinque palmaris. Tametſi verò tandem Auguſtiniani, porrectis Innocentio Quarto, & Alexandro Quarto libellis ſupplicibus, baculos illos excuſſerunt; tamen vſus antiquus aliter tulit, deriuatus ab antiquo more eremitarum. Ex quo vſu, S. Franciſcus cum ante iacta Ordinis Minorum fundamenta eremitam ageret, cum baculo, & pera, cinguloque deſcribitur à Vincentio Bellouacenſi: [c] quod aliqui ineptè traxerunt ad aſſertionem ſuſcepti à S. Franciſco per id tempus habitus eremitarum S. Auguſtini: cum tamen aliud ſit profiteri huiuſmodi inſtitutum, aliud qualicunque modo agere eremitam. Quam multi enim eremitæ, nunquam fuere Auguſtiniani? Porrò baculo monaſtico immiſſam fuiſſe crucem, dicam §. vltimo.

a Ser. 27.
b Lib. 1. c. 15.
c Lib. 29. Spec. hiſt. c. 98

4 Tam recepto apud omnes olim eremitas & Monachos vſui, non eſt quod quis obſtrepat, allegato Chriſti dicto, quo ſuis perfe-

ctionem

ſtionem euangelicam profitentibus, interdixit vſu baculi ſiue virgæ, vt diſertè refert S. Mathæus, a hoc Chriſti ad ſuos Apoſtolos mandatum recitans. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis veſtris: non peram in via, neque duas tunicas neque calceamenta, neque virgam*. Vbi non ſatis ſolidè aliqui, Chriſtum de pera & calceamentis agentem, de alia virga egiſſe volunt, quàm viatoria ſeu baculo; territi maximè ea apparente antilogia, qua apud Marcum b idem Chriſti ad ſuos iuſſum referentem, virgæ vſus conceditur; ac proinde exiſtimantes, apud Marcum agi de virga lignea ſeu baculo: apud Matthæum autem agi de virga, prout interdum ſonat puniendi poteſtatem: Qua ratione Paulus interrogabat, c *vultis in virga veniam ad vos?* Alij alia in eius nodi extricationem propoſuerunt, quæ Toletus d & Maldonatus e referunt; nec reuera explent animum, cum non poſſit videri dubium, quin Chriſtus apud vtrumque Euangeliſtam de virga agat, eaque vſuaria & communiter dicta. Eo poſito, Maldonatus, contrarijs verbis præcipi eandem abiectionem ſuperfluorum oſtendit. Sed facilior eſt huius nodi expeditio, quam ſuppeditauit Eraſmus, f & benè illuſtrauit Toletus, ac Petrus g Alloix vetari apud Matthæum virgam ſiue baculum, idoneum ad punctim cæſimue feriendum, quales baculi pleriſque hominibus militari-

a Cap. 10

b Cap. 6.

c 1. Co. 4

d In c. 9. Luc. e enu. 6.

e In c. 10 Matth.

f Marc. 6

g Ad vitã S. Aberci c. 3.

Digitized by Google

bus peregrinantibus ſunt in vſu; ſpecie quidem externa baculi viatorij ac Scipionis euntium peregrè, reipſa autem gladij quibus pro vagina & loculo eſt lignum extrinſecus obducens enſem reconditum. Deſcribit eiuſmodi a Epigr. 131. baculum Ennodius [a] hoc carmine quod inſcripſit de Spatha in fuſte.

Vtimur incluſo per fraudes enſe bacillo.
Mors, ligni tunicis quàm bene tecta latet?
Subſidiũ portas, quod cunctis terror haberis.
Pacificum eſt, nobis, quod necat obſequium.

5 Aequè vetabatur à Chriſto baculus preferratus; cuiuſmodi is fuiſſe videtur, quo ſemper vſum Dauidem eumque ſemper geſtaſſe manibus traditur. 1 Reg. 17. cum enim eſſet validus & robuſtus iuuenis, non videtur habuiſſe ſemper baculum fulcientem in manibus; ſed aduersùs lupos & feras, baculum altero ſaltem capite ſpiculatum. Ex quo etiam genere eſſe potuerunt baculi illi manuum, qui inter arma recenſentur, & comburendi denunciantur apud Ezechielem. [b] Quanquam b Cap. 39 hi fortaſſis erant bicuſpides haſtæ, & ligna vtroque capite ſpiculata. Fruſtra itaque Chriſti interdictum de virga, aduerſus baculos priſcorum Eremitarum aut Monachorum intorqueretur.

6 Et quia vſus ille ferebat geſtari à Monachis & eremitis ſimplices baculos imitatione

tione Eliſæi, non dubium quin S. Antonius ſimili baculo ſit vſus; atque adeò perperam aliqui, loco baculi viatorij appingunt illi fulcrum ſubalare, quod vſui eſt debilibus pede, aut coxa, aliterue luxatis; ita vt inniti pedibus nequeant, ſed cogantur molem corporis furcilla alaria vna vel gemina ſuſtinere. Nego huiuſmodi baculo vſum S. Antonium, quia nullæ hiſtoriæ produnt eum fuiſſe debilem ad modum prædictum: ac ne claudicaſſe quidem proditur, vt propterea vſus baculi, ſaltem in vegeta ætate, non fuerit ei neceſſarius, niſi ad fines myſticos mox proponendos.

7 Videtur autem ab ijs loco baculi viatorij appicta S. Antonio furcilla alaria, (vulgo potentia,) qui peculiare inſigne ordinis ſub S. Antonij nomine multis poſt eum ſeculis inſtituti, in gratiam ægrorum, igne ſacro contactorum, voluerunt præferri per ipſum S. Antonium, qua de re pluſcula inferiùs, tractando Symbolum vltimum. Cum tamen ipſe S. Antonius, miniſterio ſubleuandorum debilium fulcris illis ſubalaribus vtentium non vacauerit, præſtat huiuſmodi baculum ei non appingere, præſertim ne ſimpliciores inducantur in eam falſam exiſtimationem, quod membrorum impos, vel crurum aut pedum ſtupore perculſus fuerit S. Antonius, cuiuſmodi ſunt qui fulcra illa habent neceſſaria. Neque tamen ſimplici baculo viatorio, qualem paſſim alij S. Antonio appingunt,

deſunt rationes myſticæ optimæ, quibus is baculus rationem inſignis Symboli induat.

8 Prima & fortaſſis præcipua videtur, vt exprimatur S. Antonium hic non ſtatu tantùm & debito, ſed etiam reipſa & de facto, fuiſſe viatorem. Omnes ſanè in hac vita, ſumus in via qua ad Patriam tendimus, non habentes hic manentem Ciuitatem. [viator quippè dicitur, [ait S. Gregorius [a] expendens illud Iobi *interrogate quemlibet de viatoribus*,] qui præſentem vitam, viam ſibi eſſe & non patriam attendit: qui in dilectione prætereuntis ſeculi cor figere deſpicit; qui non remanere in tranſeuntibus, ſed ad æterna peruenire concupiſcit.] Addit alia in eam ſententiam, & multa & præclara. Idipſum volunt, qui dicunt perfectos quoſque hic eſſe *incolas*, iuxta Phraſim Dauidis, id eſt aduenas & peregrinos, vt benè proſequitur D. Auguſtinus [b], incolatum illum expendens. Apud Origenem [c] denominantur *digredientes & tranſeuntes*. Eoque nomine vita deceſſurus Gregorius Neocæſarienſis, referente Gregorio Nyſſeno, tranſeuntem ſe aduenam fuiſſe conteſtatus, in alieno ſepulchro condi voluit. Nullum eſſe potentius ad omnem perfectionem ſtimulum, quàm ſi homo talem ſe eſſe debere ritè perſuadeatur, Olimpius eximia vir pietate, profeſſus eſt apud Ioannē Moſchum. [d] Crebroque ac fusè idem inſigunt Patres, à Iacobo Gretſero adducti in opere de peregrinatione

[a] Lib. 15 mor. cap. 27.

[b] q 156. in Geneſ.

[c] hom. 4. in pſal. 36.

[d] cap. 12. prati.

ne, ſed maximè Auguſtinus a, atque Chryſoſtomus b. Vt ergo ſummam hanc perfectionem hominis hìc non hærentis animo, ſed tranſeuntis ac digredientis à ſeculi fluxis bonis, & progredientis ad Patriam, aſſecutus doceatur, S. Antonius, appingitur ei baculus viatorius.

8 Veriſimile eſt huc reduci rationem baculi eremitis aſſignati, à Pſeudo-Auguſtino c propoſitam, cum ex veſte eremitica & eius adiunctis, ſtimulat ſuos ad perfectionem Euãgelicam. Ait enim de baculo quem geſtabant Auguſtiniani. [Portamus etiam baculos, per quos intelligitur diſciplina, ſub qua ſemper parati eſſe debemus.] Quamuis autem diſciplina, cum ad Religioſos agitur vniuerſam religioſarum obſeruationum collectionem comprehendat, vt optimè præter cæteros tradit, qui de bono diſciplinæ luculentam edidit diſſertationem Valerianus Cemelienſis d; eademque ſit *diſciplinæ* notio apud Cyprianum e Virgines ſacras informantem; ab alijs autem ac nominatim à S. Bernardo f & Hugone Victorino g, ferè reſtringatur ad externam compoſitionem temperatam atque modeſtam; Tamen *diſciplinæ* vox in recitatis Pſeudo Auguſtini verbis, ſonare duntaxat videtur, præparationem animi ad exequendum quiduis iniunctum, & mouendum ſe ſe, quomodocunqne, & quocunque iuſſa maiorum tulerint. Quod (vt vides,)

redu-

a Serm. 32. de verb. dñi. & in Pſ. 38 & in Pſal. 118. ad illud Incola ego.
b Hom. 24. in ad Hebr.
c Serm. 27. ad fratr.
d Hom. 1
e De diſc. & hab. virg
f Epiſt. 113. ad Sophian.
g L. de diſcipl. monach.

Digitized by Google

reducitur ad tranſitum illum peregrini, ex quo primam cauſam duximus baculi Monachis aſſignati. Nam qui ex ſua voluntate nulli rei adhæreſcit, ſed ad nutum Prælatorum quibus ſubeſt, paratus eſt ad omnia demandata exequenda, & pergendum quocunque hominum ſuper caput ſuum impoſitorum voluntas tulerit; is verè peregrinus in hac vita & viator eſt, cui conuenienter baculus viatorius poſſit appingi. Quamuis autem S. Antonius alijs Monachis non ſubiacuit, ſed præfuit, tamen quo fuerit ad ſubiectionem affectu retulimus ſuperiùs ex Didymo.

10 Exprimitur itaque cum baculo S. Antonius, quia verus fuit ac perfectus viator. Et quia inter viatores, celebrantur maximè in Scriptura Filij Iſrael, egredientes de Ægypto, baculos habentes in manibus, verique typi Religioſorum ex Ægypto ſeculi recedentium: propterea baculus S. Antonio appictus, poteſt quoque aptari ad ſignificandum quàm perfectus Religioſus fuerit S. Antonius, cui egreſſus de Ægypto fuit tota vita continuatus, ſicut baculum perpetuò geſtauit. Vulgatiſſima eſt allegoria filiorum Iſrael de Ægypto exeuntium & Religioſorum è ſeculo migrantium. Multus eſt in ea Richardus Victorinus [a]. Pſalmum 113. qui eſt de eo tranſitu Hebræorum, accommodans deſerentibus ſecularem vitam Religioſis. Id quod perſpectum habens B. Franciſcus Borgia, cum ſeculo

[a] Tract. de exterm. mali.

lo

lo calces illiſit, eum Pſalmum 113. cuius initium eſt. *In exitu Iſrael de Aegypto*, modis Muſicis abs ſe diſpoſitis, curauit decantari. Habebant in eo tranſitù Hebræi, baculum in manibus, ex Dei præſcripto. Quod Nazianzenus [a] ad fidem firmam & minimè titubantem refert. Nyſſenus [b] verò ad ſpem erectam, ſuſtentantem feſſos. Algerus [c] ad canis in via occurrentis, hoc eſt carnis intemperantiam caſtigandam; ſicut Gaudentius [d] ad luporum & ferarum, vias plerumque infeſtas habentium, abactionem. Quæ omnes rationes æquè quadrant in quemuis probatum Religioſum, cuiuſmodi fuit S. Antonius.

a Orat. 42.
c L. de vita Moſis.
d Lib. 4 de Sac. alt. c. 22.
d Ser. 5. ad Neoph.

11 Aliò tamen ſpectaſſe Monachos Ægyptios, quorum Dux & Princeps S. Antonius, & baculum perpetuò geſtaſſe imitatione veterum, vt Eliſæi, auctor eſt Caſſianus [e]. Referens enim habitum Monaſticum, ad imitationem eorum qui profeſsionis huius præfigurauere lineas in veteri Teſtamento, circumeuntes in melotis, & in ſolitudinibus errantes, ſic de baculo philoſophatur. [Baculum geſtaſſe eoſdem viros, etiam Eliſæus, qui vnus ex ipſis eſt, docet, cum dicit ad Giezi puerum ſuum, mittens eum ad ſuſcitandum filium mulieris; *Tolle baculum meum, & currens vade, pone eum ſuper faciem pueri, vt viuat*. Quem vtique non dediſſet ei Propheta geſtandum, niſi eum manu ſua ſolitus eſſet iugiter circumferre. Cuius geſtatio ſpiritualiter

e Lib de habitu Mon. c. 9.

liter

Digitized by Google

liter monet, nunquam debere eos inter tot oblatrantes vitiorum canes, & inuiſibiles nequitiarum ſpiritualium beſtias, inermes incedere, (de quibus B. Dauid liberari poſtulans, dicit, *ne tradas Domine beſtijs animas confitentium tibi:*) Sed irruentes eos retundere crucis ſignaculo, ac longiùs propulſare, atque aduerſum ſe ſæuientes iugi memoria dominicæ paſſionis, & imitatione illius mortificationis extinguere.] Eſt ergo baculus in manu Monachi, atque adeò etiam S. Antonij, nota crucis Chriſti, in qua qui ſunt eius, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs. Id verò inſigniter præſtitit S. Antonius, vt vniuerſa eius vita clamat: proindeque haud iniuria, fultus baculo depingitur, iugem crucis & mortificationis Chriſti vſum inſinuante.

12 Reuoluitur proportione ſeruata, in hanc geſtari à Monachis baculi cauſam, ea ratio, ob quam Ethnici quoque Philoſophi, baculis inſtruebantur. Sic Apuleius [a], Cynicæ familiæ inſignia recenſet, peram & baculum. Obiectanti enim Aemiliano aduerſario peram & baculum, reſpondet Cratetem arbores plurimas & frugiferas, *præ vno* baculo ſpreuiſſe, villas ornatiſſimas vna perula mutaſſe. Et addit. [Peram & baculum, tu Philoſophis exprobrares? Igitur & equitibus phaleras; & peditibus clypeos, & ſigniferis uexilla, denique triumphantibus quadrigas albas, & ſtolam

[a] In Apol. I.

ſtolam palmatam. Non ſunt quidem iſta Platonicæ ſectæ geſtamina, ſed Cynicæ inſignia familiæ. Verumtamen hæc Diogeni, & Antiſtheni, pera & baculus, quod Regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum, quod Pontificibus galerum, quod lituus Auguribus. Diogenes quidem Cynicus cum Alexandro Magno de veritate Regni certabundus, baculo ſceptri vice gloriabatur. Ipſe denique Hercules inuictus luſtrator orbis, purgator ferarum, gentium domitor: is tamen Deus cum terras peragraret, paulo priùſquàm in cœlum ob virtutes aſcitus eſt, neque vna pelle veſtitior fuit, neque vno baculo comitatior.]

13 Vides, Cynicis exactioris Philoſophicæ profeſſoribus, baculos pro teſſera fuiſſe; iuxta Apuleium? Et aliquoties S. Chryſoſtomus [a], Gentilium errore præoccupatos deſcribit cum baculo: quod alibi [b] memini à me acceptum de Chriſtianis peruersè æmulantibus Ethnicos Sapientes: ſed fortaſſis non ſatis ad mentem Chryſoſtomi, qui præoccupatos Gentilium errore, ipſos Gentiles Philoſophos, videtur intellexiſſe. Quanquam Donatiſtas & Circumcelliones, qui nomine tenus Chriſtianiſmum profitebantur, eum ipſum habitum prætuliſſe, & baculos geſtaſſe, notat Viues [c] locum Auguſtini excutiens, quo habetur reliquias Cynicorum, cum ea B. Auguſtinus ſcriberet, inceſſiſſe cum pallio & claua

a Hom. 20. Geneſ. & hom. 27. ad pop.

b in Prolo ad Moralem n. 58.

c Ad 14. Ciuit. c. 20.

ſte

ſic enim ſatui illi ſuum baculum appellabant, alludentes ad clauam Herculis, cui (vt vidiſti,) reſpondere ſuum baculum affirmabant. Sicut centumculus ille quo operiebantur, erat eis pro Leonis exuuio. Elegans locus Apuleij,[a] quo Cebes cum Hercule confertur, huc planè facit. Sidonius non ſemel, clauæ Philoſophicæ meminit; vt cum [b] inducit Claudianum Viennenſem, pallium & clauam deridentem. Et cum ait, [c] Fauſtum non cæſariem paſcere, neque pallio aut claua velut Sophiſticis inſignibus gloriari. Prudentius [d] ad eandem mentem

a 5. florid in fine. b l. 4. ep. 11. c l. 9. ep. 9 d In Ham arteq.

Hinc gerit Herculeam vilis ſapientia clauã.

14 Omnibus his alijſque compluribus locis paſſim proſtantibus, *claua* ſumitur pro baculo nodoſo Philoſophorum, affectantium Herculis myſtici nomen; eo quod ſicut ille monſtra & feras abegit ac domuit; ita Philoſophi, domitores monſtrorum moralium, nempe motuum irrationalium ac vitiorum, audire affectarent. Quæ ratio geſtationis baculi, reſoluitur (vt aiebam,) in eam rationem ob quam geſtatum à Monachis baculum, aiebat Caſſianus; nimirum ad abigendos canes in via fortè infeſtos; & ſcilicet feras quaſcunque; id eſt Satanam eiuſque emiſſarios omnes, & brutos quoſcunque motus, ligno crucis Dominicæ præhenſo, tanquam Chriſtiano-

ſtianorum Philoſophorum claua, repellendos ac effugandos. Et ſunt ſanè Monachi *Philoſophi* Dei, vt ſtatuit S. Macarius, [a] vel ſimpliciter Philoſophi, aut Philoſophi Chriſtiani, iuxta phraſim Chryſoſtomo, ac Syneſio, & cœteris Græcis frequentem. Ex quo etiam loquendi modo Theodoretus [b] in *Euſebio*, Cœnobium Religioſum, vocat *Philoſophiæ Monaſticæ Gymnaſium*. Benè ergo Monachis & Eremitis, tanquam Chriſtianæ Philoſophiæ profeſſoribus, quadrat baculus.

a Hom. 17

b 1. Euſ.

15 Ac ne quis obtendat, baculum olim non fuiſſe omnium Philoſophorum, vt ex Apuleio attigimus, ſed tantùm Cynicorum qui ſpurciſſimi & propudioſi erant, indignique quorum cum noſtris Religioſis analogia admittatur: occurrit Iuſtus Lipſius, [c] docens inſtitutum Cynicorum ſola abuſione quorundam petulcorum viluiſſe: ex ſe autem fuiſſe Philoſophicè optimum; & inter Philoſophos priſcos eo loco habendum, quo inter Religioſos Chriſtianos optimi quique. Hinc liquet, penes hoc quoque caput, æquè ac penes ſuperiora iure optimo appingi S. Antonio baculum, Chriſtianæ Philoſophiæ exquiſitiſſimæ, & proportionalis ſummæ Ethicorum Philoſophiæ teſſeram.

c l. 1. manud. ad phil. ſtoicam diſſert. 13.

16 Suppeditat ipſemet S. Antonius, non contemnendam rationem cur appingatur ei baculus. Quadam ſiquidem ad Monachos ſuos Epiſtola, [d] ex ijs quæ nuper prodierunt

d Ep. 16.

verſæ

verſæ ex Arabico, baculum ſtatuit Symbolum memoriæ, anterioris paupertatis & humilitatis in SS. Iacobo & Moyſe. Et Iacobum quidem, conſiderat tranſeuntem Iordanem in baculo ſuo, nihil præterea habentem aliud, præter pauxillum viatici. In regreſſu autem, quantumuis eximiè ditatus & cum duabus turmis reueniens, monumentum priſtinæ paupertatis retinuit illum ipſum baculum. [Aſpicite quoque illum (addit S. Antonius,) quomodò non eſt oblitus paupertatis vſque ad tempus ſui obitus, qui incumbens, ſuper baculi ſui extremitate, circunſtantibus filijs, eis mandauit dicens; nolite obliuiſci priſtinæ paupertatis filij mei, propter has diuitias quæ vobis factæ ſunt. Erat autem baculus ejus, ſemper omni tempore in manu illius, ne magnificaretur cor eius, multitudine ſuarum diuitiarum illas aſpiciendo: & vt recordaretur ſuæ ſeruitutis, quam exercuit in domo auunculi ſui Laban: quippè in manu eius erat, dum paſcebat greges illius.]

17 De Moyſe non diſſimiliter differit inferiùs his præter cœtera. [Minimè ſeſe exaltare volens Moyſes, nimiam ob ſui humiliationem erga Dei Maieſtatem, qui dedit illi. Signum in proprio baculo, ne paupertatis obliuiſceretur, ſed gratias ageret beneficiorum largitori, & præcepit ei, vt baculo quem manu tenebat ſigna & mirabilia perpetraret. Et omnia quidem ſigna & mirabilia fiebant

in Do-

in Domino, mediante baculo, vt propriæ paupertatis recordaretur, per baculum quem ſemper manu tenebat: eòque diuiſit mare, ac eodem operatus eſt mirabilia in Aegypto. Mare quidem, par erat vt tum diuiſum fuiſſet & fugiſſet, cum vidiſſet coram populo præcedere columnam ignis. Tamen ſic non fuit; Verùm Moyſi iuſſit Deus, vt diuideret mare baculo ſuo quem manu tenebat: vt ſi magnificaretur cor Moyſis, eo quod mare timuiſſet illum, aſpiceret baculum quem manu tenebat, recordareturque illum eundem eſſe quo paſcebat oues in deſerto, cum erat aduena & pauper, & humiliaretur. Qui quidem baculus, erat Moyſi duplici de cauſa: altera eſt ad illius magnificentiam ob multiplicitatem mirabilium quæ eo perpetrabat: altera eſt, ad propriæ paupertatis memoriam, ne gloriaretur in corde ſuo, ſed diceret, hæc virtus non eſt mea, ſed Domini.]

18 Potuit ergo ſimiliter S. Antonius, & eius deinceps imitatione alij priſci Monachi, hoc in antiquis Patribus modeſtiæ & humilitatis Symbolum, vſurpare imitatione eorum. Et erit quod cum Moyſis baculo tot miraculorum opifice bellè reſpondeat, ſi quæ de miraculis inſignibus per S. Antonij baculum editis, ex Alphonſo recitat Aymarus, a lubeat admittere. Quæ tamen tanquam omnibus retrò antiquis incomperta, ſciens prætereo.

a 1. par. cap. 48.

K Sup-

19 Suppetunt tamen omnino inſignia & indubitata opera, baculo S. Antonij meritò adſcribenda, nulli obnoxia cauillo. Non me latet celebrari varios ſanctorum baculos Thaumaturgos. Et quia non agimus niſi de baculis viatorijs, miſſum volo baculum S. Petri traditum S. Materno multorum mirabilium editorem, vt eſt in Actis S. Materni & S. Valerij ac S. Eucharij & S. Agrœcij Antitiſtum [a] Treuirenſium, & apud Othonem Friſingenſem, atque Chriſtophorum Brovverum. [b] Hunc inquam baculum quem aiunt fuiſſe S. Petri pedum, nunc ſeponamus. Baculi verò viatorij mirabiliarij leguntur omnino multi; vt baculus S. Seruphij per Theophilum Alexandrinum tranſmiſſus magno Theodoſio, obſes illi factus victoriæ de Eugenio Tyranno. Item baculus S. Cyrici de quo Gyraldus in Itinerario. Necnon baculus S. Deſiderij Viennenſis Epiſcopi & Martyris apud Sebuſtanos cum honore aſſeruatus. Adhæc baculi quos S. Kentigernus Epiſcopus & S. Columba Abbas commutaſſe referuntur in ſignum dilectionis mutuæ. Nec non baculus S. Bonifacij qui poſt longum tempus cum planè exaruiſſet, dono datus illuſtri matronæ à ſancto viro, terræ poſtea infixus, frondes flores ac fructus tulit. Baculum item S. Enemondi, clarum miraculis celebrant Lugdunenſes vt dixi in Indiculo. Non concedit mirabilarijs hiſce baculis, S. Antonij bacu-

a L. 3. c. 15.

b Lib. 2. de rebus Treui.

baculus quem propoſui, quandoquidem per eum tot fructus honoris & honeſtatis in deſerto arente ſunt procreati, tot victoriæ de immani Tyranno reportatæ, tot edita diuinæ magnificentiæ ſpecimina in tantula ſerui Dei recula. Hunc verè illi fuiſſe dixerim baculum IESV. Extollunt & iure quidem, Hyberni, baculum IESV, cuius meminit his verbis in Vita S. Malachiæ B. Bernardus, cum de Nigello incubatore ſedis Pontificiæ, iam à S. Malachia aditæ [videns ſibi imminere fugam, tulit ſecum inſignia quædam ædis illius; textum ſcilicet Euangeliorum qui fuit S. Patricij, baculumque auro tectum, gemmis pretioſiſſimis adornatum, quem nominant *Baculum IESV*, eo quod ipſe Dominus, (vt fert opinio,) eum ſuis manibus tenuerit atque formauerit. Et hæc, ſummæ dignitatis & venerationis in gente illa. Nempe notiſſima ſunt celeberrimaque in populis; atque in ea reuerentia apud omnes vt qui illa habere viſus fuerit, ipſum habeat Epiſcopum populus.] De eo item baculo ſic Gyraldus Cambrenſis [a] priſcus Hybernicæ oræ Topographus. [Inter vniuerſos Hyberniæ baculos, ligneæque naturæ Sanctorum reliquias, virtuoſus ille & famoſus quem *Baculum ESV* vocant, non immeritò primus & præcipuus eſſe videtur. Per quem vulgari opinione S. Patricius, venenoſos ab inſula vermes eiecit; Cuius ſiquidem tam incertus eſt ortus,

a In Topogr. Hyber. diſt. 3

Digitized by Google

quàm certiſſima virtus. Noſtris autem temporibus, & noſtrorum opera, nobilis hic theſaurus, ab Armachia Dublinium eſt translatus.] Quod hoc baculo ablatos per S. Patricium ab Hybernia vniuerſa ſerpentes refert Gyraldus, alij item plerique confirmant vt Richardus Stanihurſtus, a & alij quos adduco b tractans titulos ſpecialis venerationis quorumdam ſanctorum; non abſque refragatione Alani Copi, & aliorum nonnullorum.

a L.2.de vita S.Patricij.
b In Hagiol, ¶.5.

20 Tam præcellens itaque chariſma, abactorum è regione Hyberniæ ſerpentum per baculum IESV, à S. Patricio adhibitum, ſine controuerſia apud aliquos ratum, verè & refragante nemine locum habuit in baculo IESV, adhibito per S. Antonium. Erat quippè baculo S. Antonij vt alijs Monaſticis baculis commiſſa crux, ratione cuius baculus S. Antonij denominari non incongruè poſſit *Baculus IESV*. Sic inſtructo ſuo baculo, S. Antonius, è vaſtiſſima deſerti ora ſerpentes propulit. Exegit quippè è deſerto Satanam, & beſtialia eius agmina omnis virulentiæ referta. Et quod meritò demirabatur S. Chryſoſtomus, cubilia draconum & cuiuſuis generis venenatorum, potenter ac quietè inibi per tot ſecula principantium, commutauit in habitacula Sanctorum; tanta fuit vis Antoniani baculi, cum Thaumaturgo Moſis baculo ex hoc capite conferendi.

Quid

Digitized by Google

§. 11.

Quid tintinnabulum in altera S. Antonij manu appictum.

1 SVſpicio eſſe poteſt, hoc non eſſe ſymbolum meditatò à viris peritis appoſitum S. Antonio; (cum Aymarus Falco, inter ſymbola imaginis S. Antonij ex antiquo vſu expreſſæ, iſtud non referat;) ſed ab aliquibus pictoribus omnia ſibi pro libito aſſumentibus eſſe adiunctum, ex vſu vrbicorum Eremitarum, (retineo Petri Damiani [a] iocantis vocem,) quos vſus fert, adhibito pulſu tintinnabuli, ſopitos ſomno fideles excitare, ad ſubſidium laborantium in ignibus emendatorijs animarum. Quam appicti S. Antonio tintinnabuli originem, ſi admittere placeat, præcluditur labor in huius ſymboli expoſitione, cum reuera non ſit ſymbolum, ſed ludus otioſus pictorum. Quia tamen vſus appingendi S. Antonio tintinnabulum læuæ manui implicitum, planè nunc inualuit, eiuſque Ambroſius Nouidius, [b] & Molanus [c] meminerunt, videtur ſuſpicio illa diſpelli, iniectaque nobis eſt neceſſitas, hoc quoque inter Symbola Antonianæ picturæ numerandi, quod proinde paucis expoſitum venio.

a Lib. 5 epiſt. 8.

b In faſtis.

c Lib. de imag.

2 Non nemo cenſuit, huiuſmodi tintinnabulum eſſe monimentum priſcæ fidelium pietatis, qua inuiſentes ædem ſacram Beati

huuis cœlitis, piè conſerebant paruam Sancti Imaginem, viciſſim paruam nolam referentes è loco ſancto, quam collo ſuorum animalium religiosè appenderent ad tutelam illis à lue alijſque incommodis exorandam. Hæc cogitatio tametſi religioſa & pia, humilior tamen videtur, & fortaſſis ſuperflua. Si enim verum eſt, quod non pauci (vt præmiſimus,) affirmarunt, primam cauſam porcum S. Antonio appingendi; fuiſſe ſignificationem tutelæ brutis animalibus ab eo impenſæ: quorſum S. Antonij imago, hoc nouo ſymbolo ad eandem tutelæ animalium expreſſionem, onerabitur? Niſi ſi quis gratis dicat, nolam armentorum quibus potiùs appendi ſolet, tutelam ſignare; Suem vero pro minuto pecore appingi. Vt vt ſit, ſublimius quippiam eo ſymbolo inſinuatum videtur, quod aperire aggredior.

3 Poteſt inprimis manuale hoc cymbalum, cenſeri teſſera, inſignis gloriæ quam B. Antonius Deo creauit, eximijs operibus & perilluſtribus virtutum exemplis. Appion ſane Grammaticus, à Tiberio Cæſare *mundi cymbalum,* dictus eſt, qui immortalitate à ſe donari ſcripſit, eos ad quos aliqua componebat, vt ad Veſpaſianum ſcribit Plinius: [a] quo judice, publicæ potius famæ tympanum videri poterat. Ramirem item ex Monacho Regem, ferunt vlturum contemptionem quæ apud ſuos iacebat, edixiſſe conuentum ad benedi-

a In præf. nat. hiſt.

nedictionem cymbali maioris moli, quod eſſet vniuerſa Aragonia exaudiendum; cum ſignificaret factum cuius fama totam Aragoniam peruaſura, & terrore completura eſſet vniuerſos. Nam primores totius Regni per ſpeciem initiandi cymbali, adunatos capite minuit: ſicque tintinnabulum, ne dum ex Aragonia, (ait Marinæus, [a]) ſed ex vniuerſo orbe eſt exauditum.

4 Eſt igitur cymbalum, famæ longè latèque diſſeminatæ Symbolum: eaque ex cauſa ad deſignandos prædicatores, quorum opera nomen Dei diſſeminatur per orbem, inductus in Eccleſiam eſt vſus cymbalorum, ſiue campanarum, vt fusè proſequitur Gulielmus Durandus [b] & Stephanus Durantus. [c] Quia enim Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum ſonus in omnem terram exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum, meritò ſigna, (vox eſt ex priſco vſu Eccleſiaſtico denotans campanas;) meritò inquam, ſigna quorum vſus eſt in cogendis ad ſacra fidelibus, myſtica ſignificatione, denotant eos per quos nomen Dei quaquauerſum diffuſum eſt, & bona fama conciliata virtuti: quod ſtrenuè fecere Apoſtoli, & poſt eos omnibus ſeculis fecere verbo & exemplo Apoſtolici viri; quos inter eximiè claruit S. Antonius.

5 Longum fuerit, quantum homo Dei, (id illi proprium apud omnes nomen, vt ſupra iam retuli,) diuinam gloriam amplifica-

a Lucius Marinæu l.8.ad fin

b L.1.ration. c.4. à nu.4.

c L.1. de rit. c.22. nu.5.

uerit, enarrare. Nam & ſermone & prædicatione valebat plurimùm, D. Athanaſio [a] teſte qui ait. [Sermo eius ſale conditus, conſolabatur mœſtos, docebat inſcios, concordabat iratos, omnibus ſuadens nihil amori Chriſti anteponendum; proponebatque ante oculos bonorum magnitudinem futurorum; & Dei clementiam, & beneficia retexebat indulta, quod proprio filio ſuo non pepercerit Deus, ſed pro noſtra omnium ſalute tradiderit. Nec mora, plura audientium corda, ad humanarum rerum contemptum hæc eius ſuaſit oratio.] Alibi [b] vtilitatem ſermonum eius, & quantoperè diuina gloria inde ſuccreuiſſet apud Ethnicos quoque, & ipſos idolorum ſacerdotes, prædicante viro Dei, egregiè proſequitur. Tandem quanta diuinę gloriæ ſementis, per S. Antonij erga omnes pro Deo & animarum ſalute labores fieret, declarat idem S. Athanaſius, [c] infinita (vt ait,) breui comprehendens ſermone; & bonum hunc Aegypto vniuerſæ medicum prouiſum ſtatuens, Monachis, Clericis, Virginibus ſacris, (quas ſæpè ab ipſis penè thalamis, ſermonum ſuorum & exemplorum fragrantiſſimo odore abſtrahebat,) ægris, afflictis morboſis corpore aut animo, omnibus denique cuiuſcunque ſortis, ætatis, ac conditionis hominibus.

a S. Ath. in vita, c. 42.

b Cap. 41 & 42.

c Cap. 55

6 Quàm inde per Antonium latè & altè inſonuerit Dei nomen, ſuperuacuum fuerit aperi-

aperire. Suſpiciebant Ethnici Deum Chriſtianorum, & fama rerum B. Antonij percepta, vel ſi quando eius conſpectu frui contingeret, ſtupore & extaſi perculſi, glorificabant Deum. Idem fecere Catholici, initio præſertim fremituum Ariomaniæ, prædicante ipſo contra eam (vt vocabat [a]) *vltimam hæreſim Antichriſto præcurrentem*. Fecit denique idipſum B. Auguſtinus, auditis per Potitianum Antonij operibus & exemplis; cui auditioni titubantis tunc Auguſtini conuerſionem, tam Eccleſiæ neceſſariam, tam Deo glorioſam, deberi magna ex parte, iam ſupra eſt obſeruatum. Sic diuini nominis cymbalum egit Antonius, ſic Deum gloria affecit apud mortales.

a Cap. 48 vitæ.

7 Et quia nemo vnquam Deum honorauit gratis, ipſe enim conteſtatus eſt, *qui glorificauit me glorificabo eum*, dulce eſt recogitare, quanta Deus gloria ſeruum ſuum cumulauerit; idque ſecundo loco optimè indicari poteſt per ſymbolum tintinnabuli in quo verſamur. Donum ſanè Chriſti fuiſſe, eam ſummam nominis Antonij celebritatem orbe toto inſonantem, D. Athanaſius [b] acta eius obſignans, his verbis tradidit. [Hoc etiam fratres, quod per omnes Prouincias amor eius famaque volitauit, quem nec librorum diſſeminatorum oratio luculenta, nec mundanæ ſapientiæ diſputatio, nec nobilitas generis, nec opum infinita congeſtio

b Cap. 61

com-

commendauit; cui omnium ore eſt adſcribendum niſi Chriſto, cuius hoc donum eſt? Qui deuotos eius animos erga ſuam præuidens maieſtatem, hominem alio penè orbe celatum, & inter tantas poſitum ſolitudines, Africæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, Illirico, ipſi etiam, quæ Vrbium caput eſt, Romæ, vt in exordio promiſerat, demonſtrauit. Creatoris eſt iſta benignitas, qui famulos ſuos, licet nolentes, nobilitare conſueuit; vt virtus poſſibilis, nec extra humanam eſſe naturam, Sanctorum doceatur exemplis; & ad beatæ vitæ imitationem, ex fructu laboris, optimus quiſque impellatur.]

8 Quod ait B. Athanaſius, Chriſtum vt ab initio promiſerat, ſeruum ſuum mirificaſſe, ſpectat ad diuinum viſum, poſt duram & acrem hominis Dei cum Satana luctam. Obiectus enim illi Chriſtus; [quia (inquit,) dimicando viriliter non ceſſiſti, ſemper auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari.] Exclamat ad has voces carmine expreſſas, Franciſcus Picus. a

a Hymn. de S. Antonio.

Quiſnam hanc non malit diuina ex laude coronam.
Quàm vinctum Perſen Roma oſtentare ſuperbæ,
Aut ſpolia Armenij Tigranis opima referre,
Siue catenati prætendere colla Iugurthæ?

Fama

Fama Ducum, auguſtoſque ſinus, & iniqua potentum
Atria vix tetigit, fragiliq; in ſede recepta eſt
Gloria, per quæ hominum paucorum pecto-ra viuit
Interitura breui; Tua nulli obnoxia morti
Fama per exuſtam Lybiamque Aſiamque patentem
Tranſit in Europā; viguit ſemperque vigebit
Gloria limitibus nullis concluſa per omnes
Tethyos alternæ tractus, perque vltima mundi.
Per cœlum ſuperoſque means fœlicibus alis.

9 Verè nec ſupra fidem iſta Picus, & aſtipulatorem habet Aldelmum [a] cuius illa ſunt neruoſiùs & fortiùs quàm amœniùs dicta, poſt inſigne elogium quod huic *cœleſtis* (vt vocat) *aratri ſtiuario*, panxit, vt ſupra retuli agens de pyrphoro. [Nonne propter egregiam animæ pudicitiam ineffabili virtutum gratia præditus; vſque ad ſupremos terrarum cardines percrebuit? vt pleniùs de eius virtute miraculorum Athanaſius Alexandrinus antiſtes, ſimplo volumine patefecit, Euagrio in latinum transferente.] Hoc eſt illud (vt S. Hieronymus [b] appellat,) inſigne volumen à D. Athanaſio concinnatum, & ab Euagrio Antiocheno Epiſcopo (quem idem Hieronimus acris & feruentis ingenij virum nominat [c],) latinè factum. Quod enim muſcæ quędam

a L. de Virgin. c. 14.

b L. de ſcript. c. 88.

c Ibid. c. 125.

Digitized by Google

dam morientes; Abrahamus Sultetus a & Rodulphus b Hoſpinianus, ſtultè tentarunt huius vnguenti ſuauitatem exterminare, abiudicando S.Athanaſio eam Scriptionem à S.Ephrem c, Nazianzeno d Palladio e Hieronymo f Damaſceno g & omnibus retrò antiquis pro Athanaſij legitimo fœtu celebratam, ne ad aures quidem admittendum eſt, ſed cum omni indignatione repellendum.

10 Id verò quantum ſit B.Antonij decus, habuiſſe laudum ſuarum buccinatorem B.Athanaſium, quis fando explicet. Vetus dictum eſt, vt Symmachus h appellauit, nimirum ex Næuio priſco poeta à Tullio i & Seneca k prolatum, gloriam eſſe multo auctiorem, laudari à laudato viro. Idem Symmachus l ſcribens ad patrem, caram ingenij mercedem eſſe dixit, à laudato viro laudem referre, [Adijcit laudum dignitati, honor laudantis;] aiebat Mamertinus, cum Iuliani laudes à Conſule profectas referret, id quod omnium Iudicio ad laudum cumulum valuiſſe plurimùm, rectè ſtatuit. Hoc erat quod Alexandrum Magnum grauis momordit inuidia, (verba Symmachi k rurſus appendo), quod Achilles præconem laudum ſuarum nactus eſſet Homerum. Auguſtus narrante Tranquillo m non niſi à viris præſtantiſſimis celebrari ſua decora patiebatur, prætoreſque admonuit ne ſuſtinerent ſuum nomen commiſſionibus (binorum ad oſtentationem idem argumentum tra-

a In Medul.Theol.p.2.
b De orig.Mon. l.3.c.1.
c Serm. in illud attende tibi c.10. & ſer.10. de ritu moder.
d Orat. 22.
e Cap.8. Lauſ.Catal. ſcrip.
f Orat.1. de Imag.
g Lib 9. Epiſt.101
h Lib 5. Epiſto. fam. in 12. & l. 15.in 6.
i Epiſto. 102.
k In Auctario Epiſto.6.
l L.9.Epiſto.6.
m cap. 89.

tractantium quod ferè faciebant plebeij oratores) obſoleſieri. Denique inter laudes ſimplicij Biturigum Antiſtitis deſignati, ponebat Sidonius [a]; quod laudaretur, & quidem à bonis atque laudatis. [a] Lib. 7. Epiſto. 8.

11 Inſigne planè decus hinc eruendum eſt S. Antonij; cuius laudes, non vulgaris quiſpiam aut plebeius laudator pertexuerit, ſed ſcriptor omni laude ſuperior, clariſſimum in Dei Eccleſia, omnibus Chriſtianis ab ipſo ſeculis nomen. Sanè is fuit S. Athanaſius, cui illuſtriſſima quæque Eccleſiæ lumina panxere encomia qualia vix alius ſanctorum Doctorum retulit, vt attigi in gemitu columbæ, & in opere contra calumniam. Paucis multa complexus eſt S. Cyrillus [b], cum dixit [Percelebris memoriæ Pater noſter Athanaſius, qui totos quadraginta ſex annos Alexandrinæ Eccleſiæ Pontificatum egregia cum laude geſſit, loquacibuſque impurorum nefariorumque Hæreticorum commentis, inuicta planèque Apoſtolica Sapientia reſtitit; quique ſcriptis ſuis velut flagrantiſſimo quodam vnguento, totum hunc orbem mirificè recreauit, & ob dogmatum abſolutam integritatem fideique rectitudinem, magna apud omnes exiſtimatione & auctoritate fuit.] Hunc ergo Præſulem omni encomio ſuperiorem, nanciſci laudatorem & actuarium, per quem accuratè, dicta eius & geſta ſint commiſſa chartis, quantum eſt S. Antonij decus, quanta gloria.

[b] In Epiſto. ad Monachos n. 4

ria? Quod ſi collatum quoque in eam rem ſtudium fuiſſe à S. Hieronymo placeat admittere, vt graues recentiores contendunt [a]; ſiue verſam è Græco, ſiue paraphraſticè, nec paucis interſperſis expreſſam, & limbo item de morte B. Antonij cumulatam quod illi aſſerunt B. Antonij vitam admittamus: (quin etiam Gelaſius I. [b] conſcriptam D. Hieronymo auctore B. Antonij vitam ſignificare videtur:) næ hæc quoque à laudato viro laus, B. Antonium mirè honeſtat. Nam quis & quantus in Dei Eccleſia fuerit S. Hieronymus, nulla vnquam ſecula conticeſcent.

[a] Baro. ann. 358 Poſſeuinus in Antonio

[b] Can. ſancta Rõ. diſt. 15.

12 Ac ne S. Antonij præcones, duntaxat ex ordine ſacro produxiſſe videar, quantumuis eorum commendatio omni ſit præconio ſuperior, omni encomio illuſtrior: addam ex ſeculi hominibus admiratores, ne dum laudatores D. Antonij, quales inter apices ſeculi vix vlla ætas Chriſtiana vidit pares, maiores certè non vidit. Conſtantinum Magnum dico, gregis noſtri Zorobabelem, (nomenclatore Theodoreto,) potentiſſimum, honoratiſſimum, Auguſtiſſimum [c] Imperatorem. Non potuit abſque admiratione referre S. Athanaſiùs [d], quod hominem in extremo mundi limite conditum, Conſtantinus Magnus & eius liberi Conſtans atque Conſtantius, crebrò quaſi patrem per literas adirent; obſecrantes; vt reſcribere dignaretur, & perfundere hilaritate tantos mundi apices, qui pro filijs illi

[c] In Philotheo c. 1.

[d] Cap. 50. ιδ.

illi eſſe ardentiſſimè cuperent. Suſcepto ſanè eius reſponſo, quod denique Monachorum, pijs principibus & nouellis Chriſtianis gratificari expetentium, preces extorſerunt, vehementiſſimè lætatos Principes, & omnem aulam regalem celebraſſe B. Antonium ſibi vni inglorium, confirmat ibidem S. Athanaſius. Et addit. [Sancta quoque apud cunctos Antonij flagrabat opinio, ita vt eius ſe filios cuperent nominari.] Qui illi *cuncti*? An Principes, pater ac liberi, de quibus continenter egerat, & ad B. Antonium vt ad patrem literas dediſſe præmiſerat? An omnes orbe vniuerſo pij & boni, ad quos Antonij fama manarat & gloria? Demiratur S. Antonij inſignem gloriam & nominis celebritatem, etiam apud Reges, allegato S. Athanaſij teſtimonio, Theodorus Studita. a

13 Viuebat intra idem cum B. Antonio ſeculum S. Chryſoſtomus, tametſi non paucis ab eo annis abiunctus. Quæ tamen de eo fama ſupereſſet, expreſſit b agens in hunc modum de Aegypti cœnobijs auſpice B. Antonio, mirum quantum multiplicatis. [Si quis habitacula illa nondum nouit, conſideret virum per cunctorum vſque hodiè ora volitantem, quem Apoſtolorum proximum, Aegyptus protulit: beatum dico & magnum illum de quo ſæpè audiſtis Antonium, &c. qui & viſione Dei dignus eſt habitus, & talem vitam prorſus oſtendit qualem habere ſtudent mili-

a Catech. 49.

b Hom 8 in Matth.

militeſ Chriſti.] Quod *proximum Apoſtolorum* appellat S. Antonium, liquet non eſſe referendum ad temporis viciniam, ſed ad ſimilitudinem & proximitatem in ſanctitate & perfectione Chriſtiana coram Deo: eumque fuiſſe communem ſenſum, ſupponit S. Chryſoſtomus; æquè ac S. Hieronymus id planè agnoſcit, cum ait, [a] epiſtolas à S. Antonio datas, ſpiritu Apoſtolico fuiſſe conſcriptas. At quæ in Dei Eccleſia maior ſecundùm Chriſtum & Deiparam gloria, quàm Apoſtolorum? Videſis quæ in eam rem profero, excutiens Iudæ Apoſtolatum. [b]

a de ſcriptor. Eccle.

b Tract. de Iuda c. 3.

14 Perilluſtre igitur decus eſt, quod S. Antonius claruerit in Eccleſia, iam ab æuo D. Chryſoſtomi, tanquam illis ſanctitatis montibus proximus, & ſimillimus, qualem exhibuit B. Antonium S. Chryſoſtomus: quem etiam indigetauit *Magnum illum*, loquendi formula eo tempore vſuaria, vt intelligitur ex Palladio, [c] apud quem Cronius, olim B. Antonij interpres, narrans Eulogij, & Manci à Satana inſeſſi diſſidium, ait in anxietate Eulogij an deberet Mancum abijcere, datum illi fuiſſe conſilium huiuſmodi. [Adhuc viuit magnus ille, (ſic enim vocabant S. Antonium:) aſcende ad ipſum, mutilatum imponens in nauigium, & defer eum in monaſterium, & expecta donec magnus venerit è ſpelunca.] Et mox. [Accidit vt alio die veniret magnus.] Rurſumque. [Rogabat magnus

c Cap. 23 laus.

pro

pro more, dicens fratri Macario, ſunt Aegyptij fratres, an Hieroſolymitani?] Et poſtea. [Vos omnes accerſit Magnus.] En S. Antonium abſolutè & antonomaſticè dictum *Magnum*; & perinde ac ſi eſſet id eius nomen proprium; abſque addito, dicebatur MAGNVS; quæ quanta ſit claritas, nemo non videt.

15 Non ſtetit in D. Antonij ſeculo, eius gloria. Ad omnia conſequentia ſecula eſt pròrogata, & cum orbe perennabit; vt verè à Chriſto dictum illi promiſſumque intelligamus, fore vt apud omnes homines fama & gloria potiretur, qui in obſcuro per Satanam indignè habitus, & in ſuis oculis ſemper vilis fuerat: nihil vnquam abiectum aut ſordidum ducens, quod amplificandæ Dei gloriæ poteſt eſſe accommodatum: Ita vt habeat hic locum, quod à S. Chryſoſtomo ſic ſcriptum eſt de ſummo honore & fama orbem æquatura, qua Chriſtus (vt promiſerat,) humile opus piæ mulieris, cui diſcipuli coram ipſo obſtrepebant, remunerauit. [In omnibus Eccleſijs, appellari Mulierem audiuimus. Sunt Conſules Duces, viri, mulieres, nobiles, illuſtres, ſplendidi, in omnibus Vrbibus, & in quamcumque orbis partem deueneris, ſummo cum ſilentio audiunt omnes huius mulieris officium: nec eſt vlla mundi plaga, quæ factum hoc ignoret. Atqui quot Reges multa magnaque in multos contulerunt benefi-

cia, bella cum laude geſſerunt, trophæa ſtatuerunt, gentes gubernarunt, ciuitates erexerunt, & innumeris commodis auxerunt Rempublicam; & tamen cum ſuis benefactis ſilentio teguntur. Item Reginæ primariæque fœminæ, innumerabilia benefacta contulerunt in eos quibus imperabant, quæ ne de nomine quidem vlli notæ ſunt. Hæc autem abiecta mulier, quæ tantùm effudit vnguentum, toto terrarum orbe decantatur. Ne temporis quidem tam immenſa longitudo, memoriam illius vel extinxit, vel extinguet vnquam. Idque cum factum ipſum non eſſet inſigne, (quid enim magni erat vnguentum effundere?) neque perſona eſſet celebris: Erat enim mulier abiecta; Neque multi teſtes aderant, nam inter diſcipulos res eſt geſta: Neque locus nobilis; neque enim hoc fecit per theatrum tranſiens, ſed in domo, decem dumtaxat hominibus præſentibus. Attamen neque perſonæ vilitas, neque teſtium paucitas, neque loci obſcuritas, neque vlla res alia, potuit illius abolere memoriam. Quin potiùs Reginis omnibus ac Regibus vniuerſis, celebrior eſt nunc hæc mulier; nec vlla ætas obliuioni tradidit quod factum eſt. Vnde id dic mihi, aut quis hoc effecit? An non Deus ipſe, cui tum hoc officium præſtabatur, hanc famam per omnia terrarum loca diſperſit?]

16 Aequè nos quoque, tenemus exſolutam Chriſti promiſſionem de B. Antonij, pro

tot

Digitized by Google

tot perpeſſionibus abiectionibuſque & vilipenſionibus, quà illatis, qua vltrò aſcitis, ſumma apud omnes homines celebritate. Planè apud bonum Dominum nihil perit, diuinam non ſuam gloriam quærentibus. Etiam gloriam, iam ex hoc ſeculo & apud mortales, rependit menſura bona, & conferta, & coagitata. Quod cum in alijs paſſim ſanctis, tum in Antonio præſertim enituit. Ideoque vrgebat S. Athanaſius, [a] fratres ad quos de B. Antonij vita librum conſcripſerat, ne eum librum reconderent ſibi, ſed cum fidelibus, ac etiam (ſi res ferret,) cum Paganis tunc reſiduis, communicatum magnoperè curárent: [Vt agnita fideli vita ſublimium Chriſtianorum, & Monachorum; ſciant, quod Saluator noſter IESVS CHRISTVS, glorificantes ſe glorificat: & ſeruientibus ſibimet, non tantùm regna cœlorum, ſed etiam hic, in ipſis montium ſecretis latere cupientibus, famæ tribuit nobilitatem: ſcilicet vt & ipſi fruantur laude meritorum; & cæteri, eorum prouocentur exemplis.]

[a] In fine vitæ S. Antonij.

17 Liquidò deprehendi exiſtimo ex antedictis, ſi vel perfunctoriè perlegantur, quorſum S. Antonio appingatur tintinnabulum. Nam & Chriſti ſonus per eum toto orbe eſt exauditus, & Deus illi famam perennem in omnem terram exeuntem, & fines orbis terræ peruagatam, rependit. Non ſic æra ſonantia, & cymbala tinnientia ſcabella crepantia

pantia cum ligneis ferreiſve ſoleis quatiuntur, qualia Arnobius lib.7.honorem falſorũ numinum emẽtita refert. Verè hypopodia humanis pedibus calcata, & inde ſonantia quod quamuis ad numeros certos fieret vt ex Auguſtino[a] habemus, & ex inſana Caligulæ cum tribus Conſularibus ſaltatione nocturna apud Suetonium, tamen inconditum & ruſticanum edebat crepitum.

a Lib.4. de Muſica.

§. 12.

T *Veſti appictum, quid notet.*

1 NEgat Molanus, ſe aliquid de hoc Symbolo legiſſe. Aymarus[b] fatetur, S.Antonium nihil tale in veſtimento prætuliſſe; hanc tamen eſſe imaginem baculi quo S.Antonius vtebatur, & idcirco aſſui veſtimento eorum qui S.Antonij ſacra pignora aſſeruant, & eius vocabulum præferunt, cum nollent ad geſtationem ſimilis baculi, veriùs fulcri ſubalaris ſeſe aſtringere. Ab his vero eam teſſeram veſte præferentibus, manaſſe vt S.Antonij pallio huiuſmodi figura appingeretur. Alibi idem Auctor, baculum S.Antonij ad formam T expreſſum, quem ipſe retenta voce vernacula appellat *potentiam*[c] aſſomptum ait a primis qui Religionem Hoſpitalariorum ſub vocabulo S.Antonij anno 1095. occœperũt indeque ad B.viri veſtem manaſſe.

b Lib.3. de imag. cap.5.

2 Huius rei perſpiciendæ gratia, duo

S.An-

S. Antonij Ordines ſecernendi ſunt Vnus antiquus ab ipſo S. Antonio adunatus in Piſpiri monte, indeque latè diffuſus per orientem, cuius mentio eſt in Actis S. Ioannis Eleemoſinarij, cum de Anaſtaſio magni montis S. Antonij præfecto ad redimendos Chriſtianos captiuos adhibito, ſub annum Chriſti 614. Peruagatum ad Abaſſinos hunc ordinem aliqui prodiderunt, hodieque inibi florere, religioſis B. Antonij inſtitutis ſtudioſè inhærentem, ſcribit in Aethiopica hiſtoria Ludouicus de Vrreta; Addit tamen quod omnem ſcriptioni illi abrogat fidem, nunquam Abaſſinos fidem Catholicam hæreſi vlla contaminaſſe, nunquam à Romani Pontificis obedientia deſciuiſſe: quæ & alia à Nicolao Godigno diſcuſſa, tam propudioſa falſitate laborant, vt inde liqueat, quæ de florente in eadem ora S. Antonij Ordine habet idem Auctor, non modo egere fideiuſſore, ſed planè explodenda eſſe. Vt vt ſit, huius primi ordinis S. Antonij, habitus & viuendi forma, ex Caſſiano in opere de inſtitutis renunciantium, peti poteſt. Habitus enim eorum, Sago, lebitone, ependyte, zona continebatur. Victus ratio aſperrima ab eodem Caſſiano deſcribitur, fereque erat Xenophagia ſiue aridorum comeſtio, vel homophagia; & ad ſummum ſecta ſingulis menſibus porrorum folia, Lapſania, Sal frictum, oliuæ, piſciculi minuti ſaliti; *mœnidia* dicti pro delicijs habebantur.

3 Præter eum primum ac nunquam in Occidentem inductum S. Antonij Ordinem, alius eſt à S. Antonio denominatus, cuius initia notabam anno 1095. conſignari: Eſtque Ordo non Monachorum quicquid Choppinus ſtatuat, ſed Canonicorum ſub Regula S. Auguſtini [a], vt diſertè habet Bonifacius VIII. eo diplomate quo primum Abbatem creauit anno 1297. Qua occaſione hic Hoſpitalariorum Ordo ſit cœptus, attigi ſupra, ſuſeque declarant Aymarus Falco in hiſtoria Antoniana, & Sylueſter Maurolycus in Religionum Oceano, ac Nicolaus Cruſenius in opere de Monachiſmo S. Auguſtini. Huius ergo ſecundi ordinis Antoniani profeſſores primi, pro teſſera aſſumpſere T, indeque ad S. Antonium eſt translata ob rationem quam mox attingam.

[a] Lib. 1. Sacræ polit; tit. 2. art. 8.

4 Aſſumendi autem eam teſſeram hæc primis illis Antonianis Canonicis Hoſpitalarijs refertur cauſa. Gaſto vir nobilis ac in Vienneſi prouincia Dynaſta; cum è graui ægritudine S. Antonij precibus conualuiſſet; moxque Girinus ſiue Girondus eius filius, in periculoſum morbum prolapſus, eidem Diuo à patre Gaſtone eſſet commendatus, addita nuncupatione voti de communi vtriuſque conſenſu emiſſi; quo obſtringebant ſe ſe ſi Girondus ſanitatem recuperaret, perpetuam ſeruitutem B. Antonio exſoluturos; & quicquid facultatum haberent eidem attributuros;

cum

cum in quam hęc omnia ſic geſta eſſent, S An-tonius per ſoporem Gaſtoni obiectus, & ia-tum habens addictum munus; edixit, vt fa-cultates ſuas in Noſocomium ægrorum quod ipſimet curarent, conſumptas vellent. Am-biguo autem Gaſtoni, ne minùs haberet in bonis, quàm ad tanti operis molem exigere-tur, reſpondiſſe B. Antonium, omnem inopię metum ſecluderet, & viſum porrigere ſuum baculum forma T referentem, mandaſſe vt eum baculum humi defigeret, ex quo ſic defi-xo in arborem magnam & patulam breui ex-creſcente, eam arborem commodum innume-ris ægris ad eius vmbram confluentibus rece-ptaculum præbere viſam. Eius porrò viſi in-terpretetem, demiranti per ſoporem Gaſto-ni, fuiſſe ipſum S. Antonium, exponentem ex paruis principijs proditura magna incre-menta; & Deum ſua benedictione precibus ac meritis ipſius B. Antonij, omnia abundè in finem Charitatis propoſitum, piè ordienti-bus ſuppeditaturum. Euanuit ſuper hæc vi-ſum; & Gaſto filij Girondi ſanitate reſtituta, voti reus vna cum filio, memor baculi quem S. Antonius porrigere videbatur, eius figuram veſti ſuæ appoſuit: id quod cœteri deinceps ſocij, eius imitatione fecerunt; & in peranti-quo ſigillo, viſum quod perſtrinxi, expreſſere compendio.

5 Refert hæc omnia prædicto loco Ay-marus, ingenuè tamen faſſus, non eſſe au-

thenticis documentis prodita ; & ideò ab alijs negari, de quorum mente eſſe ait, Gaſtonem & Girondum nullis cœleſtibus viſis admonitos, vltrò veſtibus ſuis T aſſuiſſe, eiuſdem cum ſubalari fulcro figuræ, ad innuendum quod inſtitutum capeſſerent, aſtringens eos vt fierent pes claudo, & baculus imbecilli. Sane quicquid ſit de viſo cœleſti, T Symbolum eſſe ac notam furcillæ alariæ, teſtatur Bonifacius VIII. eo diplomate quo Ordinem S. Antonij Viennenſis conſtituit. Diſerte enim T veſti horum Religioſorum aſſutum, vocat *potentiam*, quæ eſt vernacula vox Gallorum, ſonans fulcrum ſubalare. Iuxta quem poſtremum dicendi modum T veſtibus Religioſorum aſſutum, ne filij ſpiritales diuerſo ſchemate, quàm pater apparerent, Beati item Antonij veſtimento appictum eſt T à poſteris, tametſi nunquam à S. Antonio, dum ſupereſſet, vſurpatum.

6 Dicuntur iſta veriſimiliter, nec tamen carent difficultate. Nam ſi Tau Antonianum iuxta hactenus propoſitam ſententiam, fulcri ſubalaris figura eſſet, pars quæ rationem pedis habet, deberet longitudine excedere partem commiſſam tranſuerſim à vertice, contra quam ferunt omnes picturæ. Bonifacius tamen ſeruiens vſui recepto, retinuit vocem *potentiæ* vt intelligeretur ab ijs quos informabat. Perſuaſum quippe habebant, ſiue ex iactatis (quamuis non ſatis certis,) cœleſti-

bus

bus viſis; ſiue ex figura & forma antiqua ſigillo Ordinis impreſſa; ſiue ex conformitate ad finem inſtituto illius familiæ præfixum, T. figuram eſſe furcillæ alariæ, debiles & mancos ſuſtentantis; & idcirco vulgo eam vocabant *potentiam*. Bonifacius ergo ne aliquid incognitum præſcribere videretur, vulgata voce vſus eſt, & *potentiam* cum omnibus appellauit, quæ reuera non eſt figura potentiæ, ſeu fulcri debilium.

7 Noua quædam ſententia T Antonianum ait eſſe partem nominis Dei. Apud Coptitas ſiquidem, atque adeò apud Aegyptios poſterior litera qua *Phta* admirandum Dei nomen exaratur, refert T quadrangulare. Depingitur enim ea litera, expreſſa minore virgula iuncta alteri longiori virgulæ, nec in medio ſed ſub vertice ducta tranſuerſim, Plenius in hanc rem. Videndus de huius literę Copticę myſterio agens Prodromus Coptus Athanaſij Kircheri c. 6. Vidi etiam qui affirma et incuria aut ignoratione librariorum, producta latiùs linea tranſuerſa nominis Coptici, & eraſa parte lineæ oblongæ extantis ſupra minorem illam effictum eſſe T triangulare, cum Phtha Copticum & Antonianum ſit quadrangulare. Hanc expoſitionem T Antoniani, non exiſtimo eſſe genuinam, quia iuxta eam S. Antonius nihil ſacrum in ea teſſera præferret; Non enim nomen Dei, cuius ea figura eſt tantùm pars dimidia. Quia integrum nomen

Dei

Dei apud Coptos exprimitur per eam literam, adiunctam literæ T. Sicut ergo qui tantum aliquam partem nominis IESV haberet inſcriptam, non poſſet dici habere inſcriptum nomen IESV, ac ne compendio quidem; ita in re præſenti, non præfert Dei nomen qui duntaxat eius aliquam particulam habet appictam. Eſt autem mera diuinatio qua addebatur, excidiſſe inſcitia librariorum reliquum figuræ Copticæ exprimentis nomen Dei. Vnde enim monſtratur obrepſiſſe in eam figuram tam magnum errorem quo vniuerſa figuræ ſignificatio euertitur? Hæc igitur ſicut gratis proferuntur, ita iure non admittuntur.

8 Vulgatiſſima & admodum veriſimilis ſententia fert T Antonianum vt coniecit Molanus [a] & aſſeruit Gretſerus [b] eſſe formam Crucis qualem Aegyptij inter quos natus & verſatus eſt B. Antonius, vſurpabant. Qua ratione dicendum erit T eſſe Symbolum familiariſſimi vſus quo S. Antonius crucem adhibebat ad iuges cum Satana colluctationes. Hoc enim ſigno munitus, terribilis dæmonibus euaſit: hoc munimentum aduersùs omnes Satanicas machinationes quas ſubijt prope infinitas, & adhibebat ipſe, & alios vt adhiberent informabat.

[a] L. 3. de Imag. c. 5.
[b] L. 2. de Cruce c. 61.

9 Nunquam exitum habitura eſſet oratio, ſi particulatim referenda eſſent trophæa de Tartareo hoſte & eius copijs reportata à B.

Anto-

Antonio, interuentu ſigni crucis Dominicæ. Attingo obiter pauca. In prima ſeceſſione à frequentia, dirè laceratus & contuſus à dæmonibus, eaque paſſus quæ vniuerſis hominum tormentis acerbiora eſſe ipſemet profitebatur, [a] elatus ex arena ſemimortuus, moxque relatus in certamen, horribilibus ferarum & ſerpentum omnis generis clamoribus appetitus, de hoſtibus inter vulnera ludens, Crucem oſtentabat imperterritus, illud ingeminans. [Signum Crucis & fidei ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus eſt.] S. Antonij de Satana per Crucem victorias Franciſcus Picus celebrans S. Antonium, ſic expreſſit.

a Cap. 7. vitæ: nec diſſimilia c. 25.

—— hinc bella & horrida bella
Nãque per infernos tractus per lurida regna
Dum tibi promiſſum cœlũ, promiſſa Tonãtis
Atria condiſcit ſtrepitans Acherõtia turba,
Inuidia flagrans, Erebi de ſedibus imis
Eumenidum furiata cohors, in te agmina mouit.
Et nũc fallaci ingreditur ſub imagine sẽſus,
Nunc foris armatas acies oſtentat & vrget.
Quis rogo, quis referat pugnata ex ordine bella
Tartareo cum Rege tibi, dum colla dracorũ
Sibila præferret, rugentiaque ora Leonum:
Atque canum rabidos rictus, & aperta luporum

Guttu-

Guttura ; & inſtabiles mutantem Protea vultus :
Et modò per varios agitantē brachia tractus
Aëris ac vaſtis ſimulantem Aegeona mēbris,
Et Phlegetontea minitantem bella ſecuri ,
Et modò per nares fumos perque ora rotatam
Lāpada, perque oculos ſuffitos ſulphure multo
Perque aures cœno plenas Acherontis auari
Atque per anguineos ſpargentem incendia Erynes
Et modò pacatam faciem ſimulat aque verba
Dulcis amicitiæ & ritus, moreſque benignos.
Tu verò intrepidis animis ad omnia ſolers
Armatas furiarum acies , contūdere inermis
Conſueſti ſignoque crucis ſeu fulminis ictu
Pellere & ad triſtis tenebras depellere Auerni.

10 Sic per Crucem Dæmonas fugabat & alios fugare docebat S. Antonius. Sanè trepidantibus & horreſcentibus qui ad eum cum dæmonibus pugnantem propiùs acceſſerant, illud vnum contra omnes terrores & horrores ſuggerebat ſcutum cordis. [Signate vos & abite ſecuri , ipſoſque Dæmones ſemetipſos ſinite deludere.] Informans Monachos aduerſùs omnes pauores à Satana inijciendos & mille nocendi artes atque præſtigias ab improbo Veteratore adhibendas, hoc vnum proponit munimentum , confirmans quod ſępe expertus erat; [omnia Satanica ſpectra , omnes

omnes præſtigias & fallacias, ad primum quodque Crucis ſignum euaneſcere.] Aduerſùs nocturnas fallacias & transfigurationes dæmonum in Angelos lucis, ita eoſdem premonebat. [Tam vos, quàm domos veſtras, Crucis armate ſignaculo, & confeſtim ſoluentur in nihilum: quia metuunt illud tropheum, in quo Saluator aëreas explicans poteſtates, eas fecit oſtentui.] *Conſueta ſui munimenta* alibi appellat Crucem, recenſens horrenda & omnino multiplicia, quà per vim, qua per dolos & fraudes, in eum à Demone intorta, quibus adhibitis euanuiſſe omnia profitetur. Hippocentaurum in eremo inter querendum Paulum primum eremi accolam conſpicatus, ait B. Hieronymus de S. Antonio. [Salutaris impreſſione ſigni, armat frontem:] & audacter ſiue beſtiam ſiue Dæmoniacum ſpectrum, de via ad ſeruum Dei ſciſcitatur; quod ipſum poſtmodùm cum Satyro in quem incidit, religioſè obſeruauit. Ad beſtie horrende obiectum, (nam pube tenus humanam ſpeciem preferebat, exinde in aſinum finiens;) [Vexillum Crucis in fronte ſua pingens', hoc tantùm ait; Chriſti ſeruus ſum. Si ad me miſſa es, non fugio. Nullum in medio ſpatium; & ſtatim informe prodigium, dicto ocyùs, cum ſatellitum turba fugit, & in medio curſu ruens, extinctum eſt.] Spectri ſpecioſiſſime Reginæ ſpecie, vt Aymarus ex Alphonſo recitat, à B. Antonio ſigni Crucis for-

matione

minatione repulſi non ingero mentionem, quod ex ijs quæ S. Ephrem acciderunt, interuerſa ſit narratio. Quanquam obiectas ſibi à Satana ornatarum mulierum ſpecies Cruce adhibita diſſipatas, ipſe Sanctus Antonius teſtatus eſt.

11 Pauca iſta de plurimis exemplis, adhibitæ familiariter à B. Antonio Crucis, aduersùs omnes Satanæ machinas ad rem præſentem ſunt ſatis. Plura in Sancti Viri Actis paſſim ſunt obuia: vt mihi profectò ſtupenda appareat mēdacitas ſpurciſſimi hæretici Matthiæ Flauij Illirici, auſi hæc verba effutire. [Multa de Antonij lucta cum Satana lego; ſed nuſquam de Cruce.] Ain perfide? & vbi tui oculi, in tam denſis teſtimonijs præ quibus pauca ſunt quæ annumeraui? Quod præterea aſſerit Gretſerus, S. Antonium Crucem ſemper manu geſtare ſolitum, quod hodieque ſeruant Monachi Abaſſini, veriſimile eſt, ſed vnde ſit petitum non memini, neque enim apud S. Athanaſium tale quid occurrit. Videtur tamen bona coniectura firmans quod Gretſerus dixit, duci poſſe ex actis S. Auxentij Abbatis, in quibus Metaphraſtes recitato energumeniſmo puellæ cuius Pater de ipſo S. Auxentio enargumenos curante oblocutus erat, ſubdit S. Abbatem inflexum lachrimis & pœnitentia Parentis ſategiſſe pro puellę liberatione. [Cum itaque eſſet precatus B. Auxentius, & Crucem quæ ſuper baculum erat

in

in eius manibus, miſiſſet per vnum ex ijs qui apud eum perſeuerabant, fecit ceſſare puellæ vexationem. Similiter S. Nicon Monachus iã vita functus apparuit ſacrilego duci Antiocho, cum baculo Crucigero quo impium trãsfixit. En Crucem cum baculo geſtatam & quidem exemptilem, quandoquidem ſine baculo eſt miſſa. Mentio frequens eſt baculi Crucigeri in Actis S. Macarij Antiocheni 10. Aprilis. Quod igitur factum eſſe videmus à B.B. Auxẽtio & Nicone nec narratur de eis tanquam ſingulare, æquè coniectare poſſumus factum ab alijs Monachis quorum æquè geſtamen erat baculus, & maximè a S. Antonio Crucis ſtudioſiſſimo.

12 Monſtrandum ſupereſt T. eſſe Crucis figuram, ac proinde non abs re ſtatutum à nobis eſſe T. aſſutum veſti S. Antonij, ſymbolum eſſe familiariſſimi vſus, quo S. Antonius Crucis ſignum aduerſus omnes hoſtiles impetus, perpetuo adhibebat. Ruffino igitur referente compertum eſt, Paganos qui Alexandriȩ ſupererant conſpicantes loco thoracum Serapidis ablatorum, crucem domini vbiuis effingi, demiratos retuliſſe, iam olim ab antiquis ſibi traditum, tam diu ſtatura idola, quoad viderent huiuſmodi ſignum vitæ venturæ, proſtare vbique. *Signum vitæ venturæ* vocabant literam T. quæ apud Aegyptios litera Ieratica ſiue ſacerdotalis habebatur, & nota erat vitæ venturæ, vt de huiuſmodi litera in-

tem-

templo Serapidis reperta cum dirueretur, Sozomenus [a] ac Suidas [b] diſertè teſtantur. Ex quo vſu apud Romanos inualuiſſe videtur, vt T. appoſitum nota eſſet ſoſpitatis & vitæ ſuperſtitis, vt Goteſchalcus [c] ad Vegetium obſeruauit, poſt S. Iſidorum. [d] Mutuati haud dubie id Romani ab Aegyptijs, hi vero ab Hebræis, apud quos ſigno T. vita hominum præſcribebatur vt ait Tertullianus diſputans contra Iudæos: id eſt T. nota ſalutis habebatur: eſtque ſpecies crucis vt idem Tertullianus loquitur [e], id eſt crucis commiſſæ ſimilitudinem habet, S. Hieronymo teſte [f], quod agendo de antiquo T. (de quo ſolo agebat S. Hieronymus) recte aduerſus inimicorum Crucis Chriſti ſannas tuentur Lipſius [g] atque Gretſerus [h] confirmantque Blaſius Vigenere in pereruditο & operoſo libro de Notis à pag. 290. ac Luyſius Alcazar ad cap. 7. Apocal. Norat 3. Hanc certè ob cauſam Clemens Alexandrinus [i] & DD. Auguſtinus [k] atque Paulinus [l] numerum trecentorum qui in T. litera continetur apud Grœcos, & eadem eſt cum antiquo T. Hebræorum; accommodant victoriæ per crucem in T. figuratam, reportatæ à Chriſto vero Abraham, trecentos vernaculos, & vero Gedeone trecentos milites educente. Hoc eſt T. in ſignum ſalutis impreſſum apud Ezechielem, vt doceremur in Crucis ſigno vincere, & manum percutientis effugere: id quod inſigniter tradidit S. Hieronymus [m], & benè

quo-

a V. 7. c. 15.
b V Γέρο-πος.
c Ad l. 2. cap. 19.
d L. 1. c. 23.
e Lib. 4. contra Marcio.
f In c. 9. Ezechiel.
g In notis ad lib. 3. de cruce cap. 5.
h Lib. 1. de Cruce cap. 1.
i 6. ſtro. cap. 4.
k Serm. 107. de temp.
l Epiſto. 2.
m In c. 9. Ezech. & in c. 66. Eſaiæ

quoque Origenes, & agens contra Demetrianum Cyprianus, nec non Clemens Alexandrinus ac Tertullianus & alij quos adducit Pradus tractans ſignatos in frontibus Ezech. 9.

13 Manifeſtum igitur eſt T figuram crucis Chriſti habuiſſe apud Hebræos antiquos, (quicquid ſit de poſterioribus:) atque adeò etiam apud Aegyptios, Crucem formam T prætuliſſe, Vnde probabiliſſimè infertur, qui huiuſmodi Crucem Aegyptiacam S. Antonij penulæ appinxerunt, repreſentare voluiſſe, in quo ſigno hoſtes ſuos debellaſſet S. Antonius. Fuiſſe in hac ſententia de vera notione *Tau* Antoniani, non Gretſerum modò, ſed & Molanum [a], iam dixi. Nec video cur Molanus tractans crucis Dominicæ formam; alia omnia protulerit, affirmans ex Ficino, crucem Aegyptiacam fuiſſe quadrangularem, & a T. diuerſam protractione ſtipitis ſupra lignum tranſuerſum, vt in noſtratibus Crucibus contingit. Hieronymum autem affirmantem T eſſe figuram Crucis de imperfecta tantùm ſimilitudine accipit, ob aliqualem acceſſum, *tou* T ad formam Crucis quadrangulæ cui ſoli veram Crucis formam adſcribit. Hoc ſi agatur de ea Cruce in qua Chriſtus pro ſalute noſtra pependit, nunc non expendo. Si tamen agatur de Cruce Aegyptiaca, perſto in ſententia, quia mutandi cauſam non video. Aethiopas

a Lib. 3. cap. 17.

Digitized by Google

autem quibus multa cum Aegyptijs communia, crucem hodieque efformare per T notat Marianus[a] Victorius. Aliud tamen eis tribuit Scaliger in Euſebianis animaduerſinibus digreſſione de literis Ionicis cum de Tau. Apud Romanos alioſque paſſim Ethnicos Lucianus obſignans iudicium vocalium agnoſcit T crucem expreſſiſſe.

a in pleniore Hieronimi Indice V. T.

14 Hæc ſi cui nondum plenè perſuaſerint, T. Antonianum ad Crucem Chriſti B. Antonio adeo altè infixam eſſe referendum, ſuppetit expedita via qua eodem reuoluatur: dicendo cum Cornelio[b] T cum ſit vltima Alphabeti Hebræorum litera, & finis, aptè exprimere Chriſtum nouiſſimum virorum, prout ab Iſaia vocatur: quem ſtatum Chriſtus propriſſimè obtinuit in Cruce; in qua iuxta Bedæ, Eucherij & Angelomi allegoriam ad reddendam humano generi per Ezechiam exhibito ſanitatem, deſcendit per decem lineas: hoc eſt nō modò infra nouem Angelicos Choros, ſed etiam infra omnes mortales, factus omnium poſtremiſſimus. Et hunc victorem, hunc terminum hanc conſummationem omnium, ſpectarunt non modò plerique Pſalmi inſcripti *Victori in finem*, (verè enim in Cruce Chriſtus deuicit ac triumphauit in ſemetipſo aduerſarias poteſtates, vt habetur Coloſ. 2.) ſed etiam vniuerſa ſeries typorum antiquorum, quorum Chriſtus crucifixus fuit terminus, conſummatio, & finis, iuxta illud *omnis con-*

b Ezech 9. V. 4.

conſumationis vidi finem: quod de Chriſto in Cruce vera conſummationis totius malitiæ deſtructione accipit S. Ambroſius ſerm. 13. in Pſalm. 118.[a] Et belle concinit notio literę T quæ & terminum, & conſummationem, & Crucem hebraicè ſonat. S. Ambroſius[b] addit ſignificare item errorem præteritum, quo ipſo ingeritur memoria Chriſti crucifixi, ad errores noſtros abolendos. Itaque T Antonianum hoc modo expoſitum, reuoluitur in priorem ſenſum, quo Crux ipſa & B. Antonij erga eam affectus, hoc emblemate exprimi ſtatuebatur. Perinde enim eſt affici erga Crucem, & affici erga Crucifixum, imo affectus erga Crucem, excluſo Chriſto Crucifixo, vanus eſſet, ac repellendus.

a adver. 8.

b ibid. Ser. 22.

Digitized by Google

CHRONOTAXIS ANTONIANA
BREVICVLVM VITAE SANCTI ANTONII

Vna Serie continuatum, & quantum licuit, per annos Chriſti digeſtum, comprehendens.



RERVM ad S. Antonium attinentium, illuſtriores quaſque, euoluens emblematum ac Hieroglyphicorum Sipara, hactenus protuli. De iiſdem continuata ſerie pertexendis, vt cogitarem, ægrè adductus ſum in tanta vbertate ſcriptionum de eo argumento. Nam de B. Antonio tam Græco quam iam olim Romano ſtylo diligen-ter

Digitized by Google

ter traditum eſſe, ſcribit in Paulo Thebæo S. Hieronymus. Græcè res geſtas magni huius Viri complexus eſt, & ipſe vir omnino magnus S. Athanaſius. Nouatores enim qui referente ac refellente Bellarmino,[a] & poſt ipſum alijs, eam lucubrationem magno Athanaſio abrogant, fabulantur; ſed nõ prêter morẽ. Quis .n. Athanaſio abrogatã velit ſcriptionem quam ei S. Gregorius Nazianzenus,[b] & S. Ephrem,[c] ac Socrates,[d] atque Ruffinus,[e] ac Damaſcenus,[f] paſſimque alij Veteres adſcripſere? *Volumen egregium* (& meritò) appellat S. Hieronymus. Præter S. Athanaſium Græci plerique de S. Antonio multa prodidere literis, ac nominatim in lauſiaca Palladius ex relatione Chronij qui cũ B. Antonio egerat, & ei quod Græcè neſciret, interpres aliquando fuerat. Item S. Ephrem, Theodoretus, Sozomenus, Socrates, & paſſim hiſtorici contexentes illius æui hiſtoriam. Latinè multa ad S. Antonij vitam attinentia prodidit S. Hieronymus, præſertim in Paulo, & Hilarione, nec non Ruffinus in Vita Patrum, ac in Eccleſiaſtica hiſtoria, & latinis ſcriptoribus haud iniuria annumerandus, tametſi genere Scytha, & Byzantij inſtitutus S. Ioannes Caſſianus. E poſterioribus, omnino multi acta S. Antonij conſcripſere, ſed præter cæteros Petrus Maffeius, Annibal Canalis, Petrus Ribadeneyra, Alphonſus Villegas, & ſolita accuratione Belandus. Nos vi amica adacti, hunc Vitæ S. Antonij breuiculum ad eorum diffuſiora ſcripta adiungimus: in quo haud prorſus actum agemus; quia nonnullis lucem aliquam inferemus; & annos geſtorum S. Antoni ad Chriſti annos quantũ licuerit accomodabimus. Et vt vt ceſſura ſit quoad alios opera, quoad S. Athanaſium qui omnibus in hoc ſtadio præcurrit, dicam cum Gregorio Nyſſeno[g] vna aut altera vocula immutata, (Rogo omnes quicunque lecturi ſunt, vt me audaciæ & inſipientiæ non condemnent, quod cum vir diſertus, & in rebus ad diuinam Philoſophiam ſpectantibus magni nominis, & in omni dicendi genere admodùm exercitatus, & in hac ipſa materia præclare verſatus, orationem reliquerit, ego in eamdem are-

nam

a l. de Monach c. 5.
b ora. 21.
c Serm. in illud atteu. de tibi.
d. l. 1: c. 17. & l. 4 c. 18.
e l. 2. vit. PP. c. 30. & 1. hiſt. c. 8.
f orat. 1. de imag.
g orat. contra vſurar.

nam deſcenderim, iunctis boum aut aſinorum paribus quibus contendam cum equis Victoriæ corona redimitis. Semper enim cum grandioribus viſuntur nonnulla humiliora. Nam onerariam nauem, quæque millenis mercibus referta, à ventis hinc inde impellitur, ſequitur exigua quædam cymbula, idem ſecans æquor: Viriſque Athletico more,& ritu depugnantibus, eadem lege digladiātur etiā pueri. Hæc igitur noſtra ſit petitio.

Vniuerſa S. Antonij commoratio in hac carne, ad annos quinque ſupra centum producta eſt, vt S. Athanaſius in extrema eius ad ſuos allocutione, & S. Hieronymus in Chronico teſtantur.

Patria illi fuit pagus propè Heracleam, apud Arcades Aegyptijs finitimos,ſiue vt alij habēt ex Sozomenō, in pago a Nomi (id eſt præfecturæ) Heracleotæ. Quod Græca habeant Komi dicaturque à Sozomeno B, Antonius oriūdus fuiſſe à Koma increbuit vulgo eā ſententia, Patriam S. Antonij dictam eſſe proprio nomine *Comam*. Et ita Latinus Interpres Chriſtophorſonus, expreſſit Sozomenum. Id quod etiam habet Græcè Nicephorus b. Meliùs Epiphanius Scholaſticus Tripartitæ interpres, vocem Koma expreſſit per Vicum ſiue pagum, cuiuſmodi reuera erat S. Antonij natale ſolum. S. Athanaſius *Villam* appellat. c Itaque per Interpretum incogitantiam cui Nicephorus (qui Gennadio, d ſiue Scholario, ſiue Protoſincello teſte, non tanti eſt) decipulam appoſuit, vox appellatiua in proprium Vrbis nomen tranſijt, vt rectè Maffeius Orteliuſque coniecerunt. Fœlix vicus, ampliſſimis quibuſuis Ciuitatibus præ ibi edito tam ſancto germine anteferendus. Nec ſi paruus eſt locus decedit inde quicquam S. Antonio, ſicut qui Vrbibus eximijs ſunt editi, niſi natalis ſoli Maieſtatem virtutibus condecorent, non idcircò ſunt eximij, iuxta e Nazianzenum qui illud præclarè vt omnia de iactante Vrbem ſuam ſplendidam. (Et quis vnquam obſecro vrbanus aſinus, maioris fieri voluit quam rure degens quiſpiam? Nimirum aſinus eſt aſinus, etiam ſi in vrbe habitet.) Nec viceuerſa degenerat equus generoſus in aſinum, etiam

a l. 1. c. 28.

b l. 8. c. 4.

c n. 8. vitæ.

d ad c. Synodi Flor. Sect. 7.

e orat. de Epiſc.

Digitized by Google

etiam ſi in pago aut mapali ſit editus.

In villa igitur humilique pago, ne de nomine quidem noto, in minima millium Aegypti, a magnus Antonius Aegypti, & orbis decus Natus eſt, anno Chriſti 250. Imperij Decij primo. Nam quod Decij initia anno Chriſti 254. conſignantur à quibuſdam, vitio Codicum deprauatorum, Euſebiani Chronici, potiùs quam per indiligentiam, accurati cœteroqui & naui ſcriptores fecerunt. Et quia paruus error in principio, grandeſcit progrediendo, ob hanc vitioſam initiorum S. Antonij conſignationem, tota eiuſdem Sancti Chronographia apud eos, luxatur.

a Anno Chriſti 250.

Parentes S. Antonij, & genere, & (quod potius eſt,) moribus probatis, ac Chriſtianæ fidei profeſſione nobiles erant, vt liquet, quod mox à parentum obitu, Antonius præter agros, & poſſeſſiones quas diſtraxit, ad redimendam vexationem trecentas vberes aruras, vicinis, id eſt propinquis, ac neceſſitudine eum contingentibus, egreſſum è communi vita alioqui interturbaturis, largitus eſt, liberalitate commendabiliore quam Thaletis, & Antiſthenis, ac huiuſmodi aliorum gloriæ animalium, qui a diuitiarum contemptione celebrantur. Erat *arura* terræ ſpatium, ad centum diffuſum cubitos. Mendoſe aliqui, arbitrati ſunt palmetum fuiſſe trecentis conſitum palmis quod à parentibus S. Antonio obtigiſſet. Nec magis apte alij, pro *aruris*, *campos* dixere. Probatior lectio habet quod dixi, & ex ea liquet de parentum S. Antonij opulentia. Supellex item eiſdem erat & lauta & copioſa, è qua diſtracta non modicam pecuniæ ſummam confecit Antonius. Erant itaque ei parentes, & iuxta Deum, & iuxta ſeculum locupletes.

Anno Chriſti 250.

Digniſſimi ſunt tam nexi cum ſancta prole coniuges vt quod de eis extra illa quæ S. Athanaſius attigit, aliunde ſuppetit, quamuis à S. Athanaſio vt alia de S. Antonio non pauca præteritum, non reticeatur. Huius itaque piæ Synoridis nomina, *Berbacem* ac *Guitam* fuiſſe, refert Aymarus Falco, qui quoad patrem, habet repugnantem neminem, quoad matrem aſtipulatores

latores

latores habet complures. Nam Intemelienſes Guitam S. Antonij matrem agnoſcunt, & ciuem ſuam fuiſſe, traditum perantiqua fama à maioribus per manus accepta profitentur. Excurſiunculam permodicam, educendi, Intemelienſium opibus, Illuſtriſſimo eorum Antiſtiti Laurentio Gauoſo, viro virtutum omnium, vt ſpero probandam, lectorem (tametſi in non ſpiſſa lucubratione) deprecari cogor, vt vnde ſatam S. Antonij matrem fama ferat, intelligatur. Eſt Intemelium in Liguriæ hodiernæ extremo Limbo Ciuitas, alijs *Albintemelium* dicta, ſed Strabo reciſo prænomine *Intemelium* vocat, & *vrbem ingentem* fuiſſe teſtatur. Tullius & *ciuitatem* appellat, & Domitij nobilis illhic viri meminit, quem ait fuiſſe hoſpitem Cæſaris. Tacitus & Agricolæ bello Brittannico clariſſimi Ducis matrem, inibi degentem memorat, & aliam præclaram exemplo matronam vocis egregiæ conſtantia in filio non prodendo illuſtrem. Prodijſſe item ex Intemelienſi agro Aulum Heluium Pertinacem, laudatiſſimum pro Ethnico Imperatorem, Auguſtinus Iuſtinianus Præſul Nebienſis contendit.

Ac vt Chriſtiana potius decora attingam, natus inibi Deo & æternitati eſt; S. Secundus inter Legionis Thebeæ Duces, militari gloria & Chriſtiana fortitudine ſanguine in fidei cauſa fuſo teſtata periIluſtris. Vixiſſe ibidem Intemelij SS. Nazarium & Celſum pulſos Cemelia, tradunt antiqua horum Sanctorum acta à Metaphraſte repræſentata, ſed flagitio aut ſupinitate Librarij adeo ſunt deformata, vt omnia alia habere videantur; & pleriſque omnibus qui inde profecerunt, præſtiterint impingendi cauſam quam iuuat ſummouere. Non obfirmabor tamen in ſenſu meo, ſi dedocear errorem & malus coniector reuincar. Præfatus ergo Actorum ſcriptor, multa Meliæ pro Chriſto paſſum S. Nazarium, addit inde denique extorrem factum cum Celſo puero trienni quem ei pia mater Meliæ ad Chriſtum traducta erudiendum crediderat. *Hinc ergo*, (ait de Melia, Autor Actorum) *abijt Nazarius in vicinam Temerum cum Celſo puero*. Mendoſe. Vbi enim Melia,

lia, vbi Temerum? Sed Melia quidem parum negotij faceſſit. Excidit enim prima ſyllaba, & legendum *Cemelia*. Potuit autem ea prima ſyllaba excidere vel per incuram Librarij vel ex vſu Græcorum quorum idiomate horum Sanctorum Acta quæ Metaphraſtes repręſentauit, ſunt exarata. Nam familiare eſſe Græcis primas ſyllabas vel literas detruncare latinarum vocum quas Græcia donarunt, vt ſubiectis varijs exemplis illuſtrat Gretſerus [a]; dicunt enim Spition pro *hoſpitium*, Spania pro *Hiſpania* Cubita pro *accubita*. Sic ergo *Meliam*, latinum nomen *Cemelia* exprimentes, ea aphæreſi capite minutam dederunt. Id quod fortaſſis circa *Intemelium* quod item prima ſyllaba reciſa efferunt, locum habet, etiamſi quoad hanc aliam vocem, alia truncationis ratio mox inſinuanda poſſit occurrere. Acta igitur Græca S. Nazarij, *Melium* dixere *Cemeliam*, quæ vrbs erat omnibus ſignata Geographis in Italiæ, & Galliæ collimitio: vt propterea aliquando Italiæ tribuatur, vt in actis SS. Vincentij & Orontij ciuium Cemelienſium videre eſt, nunc Galliæ, vt in Actis S. Pontij Philipporũ A. A. in fide Magiſtri ac Cemelienſis Martyris habetur. De hac clara quondam vrbe, nunc (vt cum Seneca dicam [b]) mortua vixque ex paucis ruderibus in Nicienſi ſuburbano reſiduis nota, dico plene in Valeriani Cemelienſis Epiſcopi defenſione [c]. Natum Cemeliæ dum ſtaret S. Celſum, extra controuerſiam eſt, ac proinde fidem Chriſti ibi prædicauit S. Nazarius donec frędente per ſuos emiſſarios Satana ſolum vertere eſt adactus. Itaque *Meliam* tenemus, leui obleſione dictam pro *Cemelia*. Vbi vero Temerum, quo exceſſit pulſus Melia S. Nazarius? Hærens ad eam vocem imperitus librarius, cum vrbs eius nominis alia non occurreret, ſuſpicatus eſt legendum, *Treuerim*, eoque cum trienni infante Celſo pulſum Melia S. Nazarium conceſſiſſe, chartis illiuit. Sed aduertendum fuerat, Actorum S. Nazarij ſcriptorem apud quem luſcioſus Librarius legit *Temerum*, addere, abijſſe S. Nazarium in *vicinam Melia Temerum cum Celſo puero* trienni. Quomodo vero Treueris vicina Cemeliæ, totius

[a] l. 3. de funere Chriſt. c. 3.

[b] Epiſt. 9.

[c] cap. 1.

Digitized by Google

tius interiectu Galliæ, & Auſtraſiæ, ac partis Germaniæ, ab ora Cemelienſi abiuncta, à mari autem ſeiunctiſſima? in quod tamen digreſſum Melia S. Nazarium, ab ei infenſis alibi quoque fidei hoſtibus coniectum, diuinoque præſidio ereptum emerſiſſe, habent Acta; prædicationi eius Intemelij, ac per reliquam Liguriam, & continentem Inſubriam atteſtantia; cum laborum eius Treuiris pro Chriſto ſuſceptorū ne veſtigium quidem ſit reperire. Sudat Brouerus rerum Treuirenſium Scriptor accuratiſſimus, vt inueniat quomodo famæ protritæ de S. Nazarij Treuerim appulſu veriſicetur, & præter Adonem quem fruſtra allegat, cum nihil planè in hanc rem habeat; obſcura duo, recentiorum exiguæ accurationis Scriptorum, ex actis deprauatis implanatorum teſtimonia adducit, ac denique vulgatum S. Ambroſij nomine ſermonem, qui planè abiudicandus eſt S. Ambroſio, cum ſit cento ex varijs Euſebij Gallicani lectis hinc inde plagulis ad SS. Nazarium & Celſum accommodatis contextus, in quo item nihil eſt quod Treuirenſi S. Nazarij Apoſtolatui faueat niſi quod vir ſanctus varias omnino regiones peragraſſe dicitur, quod de tam multis Italiæ oris ab eo Roma iam extorri peragratis, facilè accipitur. Itaque chaos magnum Treuerim inter ac Cemeliam intercedens, maris item à Treuirenſi vrbe abiunctio & nullibi Treuiris impreſſa operum S. Nazarij veſtigia non difficilè docilibus ingenijs perſuadebunt vicinam Cemeliæ Ciuitatem ad maris littus poſitam in qua vt in reliqua Liguria S. Nazarius prædicauerit, eſſe Intemelium vix duodeuiginti milliaribus Cemelio abiunctum in littore Liguſtici maris haud procul à fida Monœci ſtatione Maroni laudata. Quomodò autem *Intemelium* degenerarit in *Temerum* non eſt coniectatu difficile. Syllaba namque *in* præfixa reliquæ voci vel reciſa ex vſu Græcanico de quo ſupra vel malè auulſa & in vim præpoſitionis accepta, impoſuit Librario vt cenſeret S. Nazarium in Temelium conceſſiſſe: alio autem in eam vocē errore per luſcioſitatem adiuncto, *Temerum* legit, vbi *Temelium* fuerat legendum. Et quia Temerum nullibi compare-

parebat, aberrationem idem vel alius diffudit Treuerim vſque; Tanti eſt vel leuiter à recta via ſemel deflexiſſe. Itaque vt locus Actorum S. Nazarij adeò luxatus ſanetur, & omnia quadrent, legendum contendo, *Hinc* (Cemelia) *abijt Nazarius in vicinam Temelium*, vel potiùs iuxta Grammaticos canones, abijt *Intemelium*, vicinam ciuitatem. Iam dixi, dedoctus errorem non obfirmabor; ſed puto ſolide euictum intentum.

Hiſce ornamentis Sacris Intemelienſis ciuitatis, Guitam S. Anionij matrem, adiungit conſtans & antiqua Indigenarum traditio cuius maximum ſemper debet eſſe momentum. Et quamuis procul ab Aegypto vbi S. Antonius natus eſt, conſtet abeſſe Intemelium, tamen ſicut ex Aſia maritima olim frequens erat Lugdunum & Viennam commeatio beneficio nauigationis, vt apud Euſebium legimus ita nihil eſt quod vetet affirmare Intemelia vrbe maritima in Aegiptum nullis tunc mari infeſto barbaris ſed latè dominantibus vtrobique Romanis; commeaſſe mulierem, ſiue iam coniugem à viro in ſolum ſuum deductam, ſiue alia ratione illhuc tranſgreſſam, vt habet tam conſtans apud Intemelienſes de Guitta S. Antonij matre ciue ſua, traditio cui ſuffragatam legi Antonianorum Patrum vocem vnanimem in Generali conuentu ad S. Antonium habito, anno 1285. Nam eo diplomate quo Vrbi Intemelienſi vniuerſæ participationem meritorum Ordinis Antoniani concedunt, cauſam concedendi allegant, *Quod nobilis & Glorioſa Guita, mater Diui Patroni noſtri Antonij, vt Scriptura hiſtoriarum teſtantur, ex ſtirpe nobili ciuitatis Vintimilienſis ſuam traxit originem*. Et inde factum, vt hodieque in ſolemni ſacrorum B. Antonij Lipſanorum circumgeſtatione quæ ſacro Aſcendentis Chriſti die peragitur, ſuccollantibus primarijs totius Prouinciæ Dynaſtis, ad vectationem piæ ſarcinæ, publicè ex nomine inclamatis, poſt Ducem Mediolanenſem cuius magna olim fuerunt in eam ſacram ædem merita, primus locus Vintimilienſi Comiti deferatur, quamuis ea dignitas in perſona & ſtirpe ſingulari pridem exoleuerit. Similiter apud Arelatenſes qui de S. Antonij

repo-

repoſitis apud ſe reliquijs triumphum quotãnis agunt, primæ partes tribuuntur ciui Vintimilienſi ſi quis fortè affuerit (& ſæpè adſunt per occaſionem nauigationis Intemelio Arelatem vſque frequentis) nemine ei honorariæ prærogatiuæ obſtrepente, ob inolitam ibi quoque memoriam à quod Guita S. Antonij mater, natale ſolum ſortita ſit Intemelij: quod ſuggeſſerunt teſtes locupletes Ioannes Hieronymus Lanterius, & Antonius Porrus ciues Intemelienſes. Non plura de S. Antonij Parentibus.

Vnica his parentibus proles maſcula fuit Antonius, & vnica filia, quam annis circiter duodeuiginti poſt editum Antonium ſuſceperunt. Educarunt vtramque prolem inſigni cura, ſed Antonium maximè, quod is per ætatem aptior eſſet qui Chriſtianis monitis & cœleſtibus inſtitutionibus imbueretur. Neque enim pij parentes de dulciſsimo filio Aegyptiacis diſciplinis informando fuere ſolliciti; ſed vna cum lacte, cœleſtem illi ſapientiam à Chriſto transfuſam, ſtudiose inſtillarunt: ac ne inquinaretur corruptiſſimæ regionis moribus, domeſticæ commorationi, quæ Iacobi quondam innocentiam fouit, adeò Antonium inſuefecerunt; vt præter parentes, vix alium cognoſceret, & aliorum locorum propè omnium quàm paternorum larium ignarus videretur. Eccleſiam in parentum comitatu frequentabat etiamnum puerulus: nec ijs luſibus & oblectamentis quibus ea ætatula capi ſolet, diſtinebatur; ſed quaſi iam tunc tyrocinium poneret aſperrimæ vitæ quam procedente ætate exacturus erat, ſupra pueritiam abſtinens & iocorum & cupediarum, aſceticæ perfectioni quam grandior conſectaturus erat, formante, & gradatim ad ſumma quæque eum aptante Dei Spiritu, proludebat: Tenuit ea viuendi ratio ſub piorum parentum cura, annos circiter Viginti, quibus exactis fato concedentes pij coniuges; non admodùm ætate prouecti; (quippe quibus haud ita multo ante filiola, partus alter ac poſtremus obuenerat;) orphanum Antonium, & amplarum facultatum hæredem ac dominum reliquerunt.

Vix

Vix à parentum obitu ſex menſes effluxerant, cum
a Anno Christi 271. Antonius qui domus & paruulæ ſororis curam admodùm honeſtè gerebat, adiens de more Eccleſiam, ſubeuntibus animum cogitationibus, (fruges hæ erant ſeminij à pijs parẽtibus in eius pectore iam olim facti,) de primorum Chriſtianorum perfectione, & abiectione pretij agrorum diuenditorum ad pedes Apoſtolorũ præter ſolitum morem pulſatus, vbi pedem intulit in ædem ſacram, accepit quod ſanctis illis cogitationibus bellè admodùm reſponderet: Nam inſonuit eius auribus, quod tunc legebatur ex Euangelio, de Chriſti ſic diuitem affantis ſermonibus. *Si vis perfectus eſſe, vade vende omnia tua quæcunque habes, & da Pauperibus: & Veni, & ſequere me, & habebis theſaurum in cœlo.* Non obſurduit ad has diuinas voces Antonius; nec de more auditorum, quæ in commune dicta audiunt, ad
b l. de decal. alios transferentium, (vt Philo b idcirco, in ſingulari factam legum diuinarum expreſſionem conſiderans annotauit;) alteri potius quàm ſibi dictum cenſuit quod audietat; ſed reuoluens iniectas paulo ante de Chriſtiana perfectione cogitationes, tanquam ſibi vni
d hom. 3 in 2. ad Theſſalo. ea ſcriptura eſſet recitata, & literas ab ſe de cœlo tranſmiſſas accepiſſet, (ſic enim D. Chryſoſtomus, c diuinas ſcripturas quæ publicè leguntur, appellat;) ad ſe dominicum traxit cõſilium. *Imperium* vocat S. Atha-
d n. 4. vitæ. naſius; d eo loquendi vſu, quo viri pij diuina conſilia
e 2. Re. 16. habent pro iuſſis: quod excuſauit Dauid e iuſtarum de Semei pœnarum ſumptionem deprecans, apud Abiſai, alioſque pro eo ad vlſciſcendum accinctos: Aut pro eo
f l. 9. Epiſt. vſu quo preces magnorum qui ſunt in terra, Plinio f Iudice, ex Platone quẽ adducit, neceſſitatẽ inijciunt & præcepti adigentis vim redolent, iuxta illud Mimi, *Cogit rogãdo qui rogat potentior.* Similiter enim quamuis diuinum Conſilium non ſit niſi conſilium, nec vrgeat ad operandum vi morali iniecta, ſicut imperium, tamen quia diuinam vocem continet, à pijs docilibuſque animis non ſecus ac imperium accipitur. Et ita planè Antonins conſilia ex Euangelica lectione audita accepit, dignum exemplum quod Babylas Mimus vt eſt apud

Moi-

Moſchum, [a] in concipienda illicò ad voces Euangelicas pœnitentia, æmularetur. a c. 32.

Confeſtim itaque regreſſus domum Antonius, de Chriſti conſilio, prædia & agros quibus potiebatur, partim diſtraxit, partim vicinis, hoc eſt qui eum ex propinquo attingebant, ne quam ſibi aut ſorori moleſtiam faceſſerent, vltrò eſt elargitus; quod de trecẽtis aruris feraciſſimis & optimis, diſertè dixit S. Athanaſius. Omnium verò diuenditorum pretium quod valdè copioſum fuit, in vſus pauperum impendit; paucis dumtaxat ſepoſitis, cùm ad vſum Sororis, quæ ſexu, & ætate infirmior erat, tùm ad tenuem quoque ſui ipſius ſuſtentationem. At non ita multo poſt, cum Eccleſiam ingreſſus illud ex Euangelica lectione accepiſſet *Nolite cogitare de craſtino*, Et hoc quoque ſibi dictum ratus, domo excedere, & quod ſibi reliquum fecerat, erogare in egenos, abſque procraſtinatione, decreuit; & opere perfecit. Diceres eum ab Euangelio, feſtino prædatore eſſe expoliatum, vt ille apud Palladium [c] Biſarion; rogatus ecquis eum nudaſſet, de prolato Euangeliorum Codice dixit, hunc ſuum fuiſſe prædonem, ab eo ſe eſſe ſpoliatum: qoo item denique ſe exuit, quia aſſiduè (inquit,) mihi occinit, *Vade vende quæ habes.* b Matt. 6. c Sect. 111. Laus.

Sic exoneratus externis bonis, quàntum ad ipſum attinebat B. Antonius, ſororem tamen non abiecit; ſed eam ſacris Virginibus, in Parthenone educandam commiſit, vt ad earum nutriretur exemplum; recenſque teſta odorem pietatis ita imbueret, vt vita vniuerſa retineret. In Parthenone locatam à B. Antonio ſororem dixi, quia ita habet Græcus S. Athanaſij contextus, quem Euagrius Interpres minùs cõmodè expreſſit, cũ dixit. *Neque ſe verſari paſſus eſt domi, ſed ſorore fidelibus ac notis Virginibus commendata, vt ad earum nutriretur exemplum, &c. Hac in re Sancti viri ſoror.*

Secuta planè eſt cœterarum exemplum, ac eouſque profecit vt iam vetulam inuitatu Monachorum illuc regreſſus S. Antonius, aliarum ſanctarum Virginum magiſtram, magna ſua voluptate repererit [d] Hallucinati vero ſunt qui ſacros Parthenones, ſequioris æui inuẽtum In vita n. 72.

tum

Digitized by Google

CHRONOTAXIS
ANTONIANA
BREVICVLVM VITAE
SANCTI ANTONII
Vna Serie continuatum, & quantum licuit,
per annos Chriſti digeſtum,
comprehendens.



RERVM ad S. Antonium attinentium, illuſtriores quaſque, euoluens emblematum ac Hieroglyphicorum Sipara, hactenus protuli. De iiſdem continuata ſerie pertexendis, vt cogitarem, ægrè adductus ſum in tanta vbertate ſcriptionum de eo argumento. Nam de B. Antonio tam Græco quam iam olim Romano ſtylo diligen-

Digitized by Google

ter traditum eſſe, ſcribit in Paulo Thebæo S. Hierony-
mus. Græcè res geſtas magni huius Viri complexus
eſt, & ipſe vir omnino magnus S. Athanaſius. Noua-
a l. de Monach c. 5. tores enim qui referente ac refellente Bellarmino, a &
poſt ipſum alijs, eam lugubrationem magno Athanaſio
b ora. 21. abrogant, fabulantur; ſed nõ præter morẽ. Quis .n. Atha-
c Serm. in illud atteu. de tibi. naſio abrogatã velit ſcriptionem quam ei S. Gregorius
Nazianzenus, b & S. Ephrem, c ac Socrates, d atque
Ruffinus, e ac Damaſcenus, f paſſimque alij Veteres
d. l. 1. c. 17. & l. 4 c. 18. adſcripſere? *Volumen egregium* (& meritò) appellat S.
Hieronymus. Præter S. Athanaſium Græci plerique
de S. Antonio multa prodidere literis, ac nominatim
e l. 2. vit. PP. c. 30. & 1. hiſt. c. 8. in lauſiaca Palladius ex relatione Chronij qui cũ B. An-
tonio egerat, & ei quod Græcè neſciret, interpres ali-
quando fuerat. Item S. Ephrem, Theodoretus, Sozo-
f orat. 1. de imag. menus, Socrates, & paſſim hiſtorici contexentes illius
æui hiſtoriam. Latinè multa ad S. Antonij vitam at-
tinentia prodidit S. Hieronymus, præſertim in Paulo,
& Hilarione, nec non Ruffinus in Vita Patrum, ac in
Eccleſiaſtica hiſtoria, & latinis ſcriptoribus haud iniu-
ria annumerandus, tametſi genere Scytha, & Byzan-
tij inſtitutus S. Ioannes Caſſianus. E poſterioribus, om-
nino multi acta S. Antonij conſcripſere, ſed præter cæ-
teros Petrus Maffeius, Annibal Canalis, Petrus Riba-
deneyra, Alphonſus Villegas, & ſolita accuratione
Belandus. Nos vi amica adacti, hunc Vitæ S. Antonij
breuiculum ad eorum diffuſiora ſcripta adiungimus:
in quo haud prorsùs actum agemus; quia nonnullis
lucem aliquam inferemus; & annos geſtorum S. Antoni
ad Chriſti annos quantũ licuerit accomodabimus. Et vt
g orat. contra vſuras. vt ceſſura ſit quoad alios opera, quoad S. Athanaſium
qui omnibus in hoc ſtadio præcurrit, dicam cum
Gregorio Nyſſeno g vna aut altera vocula im-
mutata, (Rogo omnes quicunque lecturi ſunt, vt me
audaciæ & inſipientiæ non condemnent, quod cum
vir diſertus, & in rebus ad diuinam Philoſophiam ſpe-
ctantibus magni nominis, & in omni dicendi genere
admodùm exercitatus, & in hac ipſa materia præcla-
re verſatus, orationem reliquerit, ego in eamdem are-

nam

nam deſcenderim, iunctis boum aut aſinorum paribus quibus contendam cum equis Victoriæ corona redimitis. Semper enim cum grandioribus viſuntur nonnulla humiliora. Nam onerariam nauem, quæque millenis mercibus referta, à ventis hinc inde impellitur, ſequitur exigua quædam cymbula, idem ſecans æquor: Viriſque Athletico more,& ritu depugnantibus, eadem lege digladiãtur etiã pueri. Hæc igitur noſtra ſit petitio.

Vniuerſa S. Antonij commoratio in hac carne, ad annos quinque ſupra centum producta eſt, vt S. Athanaſius in extrema eius ad ſuos allocutione, & S. Hieronymus in Chronico teſtantur.

Patria illi fuit pagus propè Heracleam, apud Arcades Aegyptijs finitimos, ſiue vt alij habẽt ex Sozomenõ, in pago.a Nomi (id eſt præfecturæ) Heracleotæ. Quod Græca habeant Komi dicaturque à Sozomeno B. Antonius oriũdus fuiſſe à Koma increbuit vulgo ea ſententia, Patriam S. Antonij dictam eſſe proprio nomine *Comam*. Et ita Latinus Interpres Chriſtophorſonus, expreſſit Sozomenum. Id quod etiam habet Græcè Nicephorus. b Meliùs Epiphanius Scholaſticus Tripartitæ interpres, vocem Koma expreſſit per Vicum ſiue pagum, cuiuſmodi reuera erat S. Antonij natale ſolum. S. Athanaſius *Villam* appellat. c Itaque per Interpretum incogitantiam cui Nicephorus (qui Gennadio, d ſiue Scholario, ſiue Protoſincello teſte, non tanti eſt) decipulam appoſuit, vox appellatiua in proprium Vrbis nomen tranſijt, vt rectè Maffeius Orteliuſque coniecerunt. Fœlix vicus, ampliſſimis quibuſuis Ciuitatibus præ ibi edito tam ſancto germine anteferendus. Nec ſi paruus eſt locus decedit inde quicquam S. Antonio, ſicut qui Vrbibus eximijs ſunt editi, niſi natalis ſoli Maieſtatem virtutibus condecorent, non idcircò ſunt eximij, iuxta e Nazianzenum qui illud præclarè vt omnia de iactante Vrbem ſuam ſplendidam. (Et quis vnquam obſecro vrbanus aſinus, maioris fieri voluit quam rure degens quiſpiam? Nimirum aſinus eſt aſinus, etiam ſi in vrbe habitet.) Nec viceuerſa degenerat equus generoſus in aſinum, etiam

a l. 1. c. 28.

b l. 8. c. 4.

c n. 8. vitæ.

d ad c. Synodi Flor. Sect. 7.

e orat. de Epiſc.

Digitized by Google

etiam ſi in pago aut mapali ſit editus.

In villa igitur humilique pago, ne de nomine quidem noto, in minima millium Aegypti, a magnus Antonius
a Anno Christi 250. Aegypti, & orbis decus Natus eſt, anno Christi 250. Imperij Decij primo. Nam quod Decij initia anno Christi 254. conſignantur à quibuſdam, vitio Codicum deprauatorum, Euſebiani Chronici, potiùs quam per indiligentiam, accurati cœteroqui & naui ſcriptores fecerunt. Et quia paruus error in principio, grandeſcit progrediendo, ob hanc vitioſam initiorum S. Antonij conſignationem, tota eiuſdem Sancti Chronographia apud eos, luxatur.

Parentes S. Antonij, & genere, & (quod potius eſt,) moribus probatis, ac Chriſtianæ fidei profeſſione nobiles erant, vt liquet, quod mox à parentum obitu, Antonius præter agros, & poſſeſſiones quas diſtraxit, ad redimendam vexationem trecentas vberes aruras, vicinis, id eſt propinquis, ac neceſſitudine eum contingentibus, egreſſum è communi vita alioqui interturbaturis, largitus eſt, liberalitate commendabiliore quam Thaletis, & Antiſthenis, ac huiuſmodi aliorum gloriæ animalium, qui a diuitiarum contemptione celebrantur. Erat *arura* terræ ſpatium, ad centum diffuſum cubitos. Mendoſe aliqui, arbitrati ſunt palmetum fuiſſe trecentis conſitum palmis quod à parentibus S. Antonio obtigiſſet. Nec magis apte alij, pro *aruris*, *campos* dixere. Probatior lectio habet quod dixi, & ex ea liquet de parentum S. Antonij opulentia. Supellex item eiſdem erat & lauta & copioſa, è qua diſtracta non modicam pecuniæ ſummam confecit Antonius. Erant itaque ei parentes, & iuxta Deum, &
Anno Christi 250. iuxta ſeculum locupletes.

Digniſſimi ſunt tam nexi cum ſancta prole coniuges vt quod de eis extra illa quæ S. Athanaſius attigit, aliunde ſuppetit, quamuis à S. Athanaſio vt alia de S. Antonio non pauca præteritum, non reticeatur: Huius itaque piæ Synoridis nomina, *Berbacem* ac *Guitam* fuiſſe, refert Aymarus Falco, qui quoad patrem, habet repugnantem neminem, quoad matrem aſtipulatores

latores habet complures. Nam Intemelienſes Guitam S. Antonij matrem agnoſcunt, & ciuem ſuam fuiſſe, traditum perantiqua fama à maioribus per manus accepta profitentur. Excurſiunculam permodicam, educendi, Intemelienſium opibus, Illuſtriſſimo eorum Antiſtiti Laurentio Gauoſo, viro virtutum omnium vt ſpero probandam, lectorem (tametſi in non ſpiſſa lucubratione) deprecari cogor, vt vnde ſatam S. Antonij matrem fama ferat, intelligatur. Eſt Intemelium in Liguriæ hodiernæ extremo Limbo Ciuitas, alijs *Albintemelium* dicta, ſed Strabo reciſo prænomine *Intemelium* vocat, & *vrbem ingentem* fuiſſe teſtatur. Tullius, & *ciuitatem* appellat, & Domitij nobilis illhic viri meminit, quem ait fuiſſe hoſpitem Cæſaris. Tacitus & Agricolæ bello Brittannico clariſſimi Ducis matrem, inibi degentem memorat, & aliam præclaram exemplo matronam vocis egregiæ conſtantia in filio non prodendo illuſtrem. Prodijſſe item ex Intemelienſi agro Aulum Heluium Pertinacem, laudatiſſimum pro Ethnico Imperatorem, Auguſtinus Iuſtinianus Præſul Nebienſis contendit.

Ac vt Chriſtiana potius decora attingam, natus inibi Deo & æternitati eſt; S. Secundus inter Legionis Thebeæ Duces, militari gloria & Chriſtiana fortitudine ſanguine in fidei cauſa fuſo teſtata perilluſtris. Vixiſſe ibidem Intemelij SS. Nazarium & Celſum pulſos Cemelia, tradunt antiqua horum Sanctorum acta à Metaphraſte repræſentata, ſed flagitio aut ſupinitate Librarij adeo ſunt deformata, vt omnia alia habere videantur; & pleriſque omnibus qui inde profecerunt, præſtiterint impingendi cauſam quam iuuat ſummouere. Non obfirmabor tamen in ſenſu meo, ſi dedocear errorem & malus coniector reuincar. Præfatus ergo Actorum ſcriptor, multa Meliæ pro Chriſto paſſum S. Nazarium, addit inde denique extorrem factum cum Celſo puero trienni quem ei pia mater Meliæ ad Chriſtum traducta erudiendum crediderat. *Hinc ergo*, (ait de Melia, Autor Actorum) *abijt Nazarius in vicinam Temerum cum Celſo puero*. Mendoſe. Vbi enim Melia,

lia, vbi Temerum? Sed Melia quidem parum negotij faceſſit. Excidit enim prima ſyllaba, & legendum Cemelia. Potuit autem ea prima ſyllaba excidere vel per incuram Librarij vel ex vſu Græcorum quorum idiomate horum Sanctorum Acta quæ Metaphraſtes repręſentauit, ſunt exarata. Nam familiare eſſe Græcis primas ſyllabas vel literas detruncare latinarum vocum quas Græcia donarunt, vt ſubiectis varijs exemplis illuſtrat Gretſerus; dicunt enim Spition pro *hoſpitium*, Spania pro *Hiſpania* Cubita pro *accubita*. Sic ergo *Meliam*, latinum nomen *Cemelia* exprimentes, ea aphæreſi capite minutam dederunt. Id quod fortaſſis circa *Intemelium* quod item prima ſyllaba reciſa efferunt, locum habet, etiamſi quoad hanc aliam vocem, alia truncationis ratio mox inſinuanda poſſit occurrere. Acta igitur Græca S. Nazarij, *Melium* dixere *Cemeliam*, quæ vrbs erat omnibus ſignata Geographis in Italiæ, & Galliæ collimitio: vt propterea aliquando Italiæ tribuatur, vt in actis SS. Vincentij & Orontij ciuium Cemelienſium videre eſt, nunc Galliæ, vt in Actis S. Pontij Philipporũ A. A. in fide Magiſtri ac Cemelienſis Martyris habetur. De hac clara quondam vrbe, nunc (vt cum Seneca dicam) mortua vixque ex paucis ruderibus in Nicienſi ſuburbano reſiduis nota, dico plene in Valeriani Cemelienſis Epiſcopi defenſione. Natum Cemeliæ dum ſtaret S. Cellum, extra controuerſiam eſt, ac proinde fidem Chriſti ibi prædicauit S. Nazarius donec ſtridente per ſuos emiſſarios Satana ſolum vertere eſt adactus. Itaque *Meliam* tenemus, leui obleſione dictam pro *Cemelia*. Vbi vero Temerum, quo exceſſit pulſus Melia S. Nazarius? Hærens ad eam vocem imperitus librarius, cum vrbs eius nominis alia non occurreret, ſuſpicatus eſt legendum, *Treuerim*, eoque cum trienni infante Celſo pulſum Melia S. Nazarium conceſſiſſe, chartis illiuit. Sed aduertendum fuerat, Actorum S. Nazarij ſcriptorem apud quem luſcioſus Librarius legit *Temerum*, addere, abijſſe S. Nazarium in *vicinam Melia Temerum cum Celſo puero* trienni. Quomodo vero Treueris vicina Cemeliæ, totius

a l. 3. de funere Chriſt. c. 3.

b Epiſt. 9.

a cap. 1.

tius

tius interiectu Galliæ, & Auſtraſiæ, ac partis Germaniæ, ab ora Cemelienſi abiuncta, à mari autem ſeiunctiſſima? in quod tamen digreſſum Melia S. Nazarium, ab ei infenſis alibi quoque fidei hoſtibus coniectum, diuinoque præſidio ereptum emerſiſſe, habent Acta; prædicationi eius Intemelij, ac per reliquam Liguriam, & continentem Inſubriam atteſtantia; cum laborum eius Treuiris pro Chriſto ſuſceptorũ ne veſtigium quidem ſit reperire. Sudat Brouerus rerum Treuirenſium Scriptor accuratiſſimus, vt inueniat quomodo famæ protritæ de S. Nazarij Treuerim appulſu velificetur, & præter Adonem quem fruſtra allegat, cum nihil planè in hanc rem habeat; obſcura duo, recentiorum exiguæ accurationis Scriptorum, ex actis deprauatis implanatorum teſtimonia adducit, ac denique vulgarum S. Ambroſij nomine ſermonem, qui plane abiudicandus eſt S. Ambroſio, cum ſit cento ex varijs Euſebij Gallicani lectis hinc inde plagulis ad SS. Nazarium & Celſum accommodatis contextus, in quo item nihil eſt quod Tteuirenſi S. Nazarij Apoſtolatui faueat niſi quod vir ſanctus varias omnino regiones peragraſſe dicitur, quod de tam multis Italiæ oris ab eo Roma iam extorri peragratis, facilè accipitur. Itaque chaos magnum Treuerim inter ac Cemeliam intercedens, maris item à Treuirenſi vrbe abiunctio & nullibi Treuiris impreſſa operum S. Nazarij veſtigia non difficilè docilibus ingenijs perſuadebunt vicinam Cemeliæ Ciuitatem ad maris littus poſitam in qua vt in reliqua Liguria S. Nazarius prædicauerit, eſſe Intemelium vix duodeuiginti milliaribus Cemelio abiunctum in littore Liguſtici maris haud procul à fida Monœci ſtatione Maroni laudata. Quomodò autem *Intemelium* degenerarit in *Temerum* non eſt coniectatu difficile. Syllaba namque *in* præfixa reliquæ voci vel reciſa ex vſu Græcanico de quo ſupra vel male auulſa & in vim præpoſitionis accepta, impoſuit Librario vt cenſeret S. Nazarium in Temelium conceſſiſſe: alio autem in eam vocẽ errore per luſcioſitatem adiuncto, *Temerum* legit, vbi *Temelium* fuerat legendum. Et quia Temerum nullibi compare-

repoſitis apud ſe reliquijs triumphum quotãnis agunt, primæ partes tribuuntur ciui Vintimilienſi ſi quis fortè affuerit (& ſæpè adſunt per occaſionem nauigationis Intemelio Arelatem vſque frequentis) nemine ei honorariæ prærogatiuæ obſtrepente, ob inolitam ibi quoque memoriam à quod Guita S. Antonij mater, natale ſolum ſortita ſit Intemelij: quod ſuggeſſerunt teſtes locupletes Ioannes Hieronymus Lanterius, & Antonius Porrus ciues Intemelienſes. Non plura de S. Antonij Parentibus.

Vnica his parentibus proles maſcula fuit Antonius, & vnica filia, quam annis circiter duodeuiginti poſt editum Antonium ſuſceperunt. Educarunt vtramque prolem inſigni cura, ſed Antonium maximè, quod is per ætatem aptior eſſet qui Chriſtianis monitis & cœleſtibus inſtitutionibus imbueretur. Neque enim pij parentes de dulciſsimo filio Aegyptiacis diſciplinis informando fuere ſolliciti; ſed vna cum lacte, cœleſtem illi ſapientiam à Chriſto transfuſam, ſtudioſe inſtillarunt: ac ne inquinaretur corruptiſſimæ regionis moribus, domeſticæ commorationi, quæ Iacobi quondam innocentiam fouit, adeò Antonium inſuefecerunt; vt præter parentes, vix alium cognoſceret, & aliorum locorum propè omnium quàm paternorum larium ignarus videretur. Eccleſiam in parentum comitatu frequentabat etiamnum puerulus: nec ijs luſibus & oble-ctamentis quibus ea ætatula capi ſolet, diſtinebatur; ſed quaſi iam tunc tyrocinium poneret aſperrimæ vitæ quam procedente ætate exacturus erat, ſupra pueritiam abſtinens & iocorum & cupediarum, aſceticæ perfectioni quam grandior conſectaturus erat, formante, & gradatim ad ſumma quæque eum aptante Dei Spiritu, proludebat. Tenuit ea viuendi ratio ſub piorum parentum cura, annos circiter Viginti, quibus exactis fato concedentes pij coniuges, non admodùm ætate prouecti; (quippe quibus haud ita multo ante filiola, partus alter ac poſtremus obuenerat;) orphanum Antonium, & amplarum facultatum hæredem ac dominum reliquerunt.

Vix

Digitized by Google

Moſchum, [a] in concipienda illicò ad voces Euangelicas pœnitentia, æmularetur. a c. 32.

Confeſtim itaque regreſſus domum Antonius, de Chriſti conſilio, prædia & agros quibus potiebatur, partim diſtraxit, partim vicinis, hoc eſt qui eum ex propinquo attingebant, ne quam ſibi aut ſorori moleſtiam faceſſerent, vltrò eſt elargitus; quod de trecētis aruris feraciſſimis & optimis, diſertè dixit S. Athanaſius. Omnium verò diuenditorum pretium quod valdè copioſum fuit, in vſus pauperum impendit; paucis dumtaxat ſepoſitis, cùm ad vſum Sororis, quæ ſexu, & ætate infirmior erat, tùm ad tenuem quoque ſui ipſius ſuſtentationem. At non ita multo poſt, cum Eccleſiam ingreſſus illud ex Euangelica lectione accepiſſet *Nolite cogitare de craſtino*, Et hoc quoque ſibi dictum ratus, domo excedere, & quod ſibi reliquum fecerat, erogare in egenos, abſque procraſtinatione, decreuit; & opere perfecit. Diceres eum ab Euangelio, feſtino prædatore eſſe expoliatum, vt ille apud Palladium [c] Biſarion; rogatus ecquis eum nudaſſet, de prolato Euangeliorum Codice dixit, hunc ſuum fuiſſe prædonem, ab eo ſe eſſe ſpoliatum: qoo item denique ſe exuit, quia aſſiduè (inquit,) mihi occinit, *Vade vende quæ habes.* b Matt. 6. c Sect. 111. Laus.

Sic exoneratus externis bonis, quàntum ad ipſum attinebat B. Antonius, ſororem tamen non abiecit; ſed eam ſacris Virginibus, in Parthenone educandam commiſit, vt ad earum nutriretur exemplum; recenſque teſta odorem pietatis ita imbueret, vt vita vniuerſa retineret. In Parthenone locatam à B. Antonio ſororem dixi, quia ita habet Græcus S. Athanaſij contextus, quem Euagrius Interpres minùs cōmodè expreſſit, cũ dixit. *Neque ſe verſari paſſus eſt domi, ſed ſorore fidelibus ac notis Virginibus commendata, vt ad earum nutriretur exemplum, &c. Hæc in re Sancti viri ſoror.*

Secuta planè eſt cœterarum exemplum, ac eouſque profecit vt iam vetulam inuitatu Monachorum illuc regreſſus S. Antonius, aliarum ſanctarum Virginum magiſtram, magna ſua voluptate repererit [d] Hallucinati vero ſunt qui ſacros Parthenones, ſequioris æui inuē- In vitâ n. 72.

tum

Digitized by Google

tum eſſe dixerunt: cum etiam ante S. Antonij ætatem, S. Baſiliſſa Virgo & coniux, mille monialium Parthenoni præfuerit. Et ſub hæc S. Antonij tempora, diſcipulus eius S. Pachomius ſorori ſuæ alijſque Virginibus, Parthenonem ſtatuiſſe legatur. Nec eſſe à palæſtra monaſtica alienum fœmineum ſexum, S. Chryſoſtomus a de Aegypti Parthenonibus differens obſeruauit. Sorore idoneis tutricibus commendata, externiſque bonorum vinculis ſanctè diſruptis, liber Antonius ac expeditus ad viam mandatorum Dei alacriter decurtendam exilijt, cœpta conſūmaturus fœliciter, & iactis ſuperſtruendæ perfectionis fundamentis, appoſiturus colophonem.

a hom. 8. in Matt.

Perſuaſus erat cum B. Paulino S. Antonius, ijs quæ ad eum inſonuerant Chriſti verbis, *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia tua, & da pauperibu,* principia dumtaxat non finem perfectionis Euangelicæ inſinuari: conſummationem autem contineri verbis illis, continenter ſubiunctis, *Veni, ſequere me*. Itaque externarum rerum quarumcunque S. Antonius, eadem cogitaſſe eademque locutus eſſe videri poteſt, quæ inter expendendum illa ipſa Chriſti verba, quibus ad Chriſtianæ Sanctitatis apicem excitatus eſt, dixit poſtea S. Paulinus. b (Facilè nobis bona vel onera appoſita, pallium remittentibus exciderunt, & quæ nobiſcum non intuleramus in hunc mundum, nec poteramus auferre nobiſcum, quaſi mutuata reddidimus: nec vt cutem à carne diſtraximus, ſed vt veſtem à corpore depoſuimus. Nunc opus eſt; vt quæ verè noſtra ſunt, dependamus Deo, hoc eſt cor, & animam, & corpora noſtra exhibeamus in hoſtiam ſanctam, (vt ſcriptum eſt,) Domino; noſq; ipſos ædificantes ei in Templum Sanctum in ipſo lapide angulari, qui nobis ſanctificationis noſtræ formulam in ſemetipſo dedit, & ait, *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*. Quæ igitur nobis gratia, ſi in alieno tantùm fideles fuerimus, niſi de proprio ſeruiamus? Id eſt de libero voluntatis arbitrio, ex toto corde noſtro, ex totis animæ noſtræ (vt ſcriptum eſt,) viribus diligentes Deum? In quem nos affectum laceſſit Propheta

b Ep. 2. ad Seuerum.

pheta qui dicit, *Voluntariè ſacrificabo tibi*. Hoc enim acceptum & placitum eſt coram Deo, vt bonum noſtrum ſit voluntarium, quatenus recipiamus quæ noſtra ſunt, paradiſi ſcilicet domum, & vitam æternam in quibus creati ſumus; quam ſi ab huius terrę in quam damnatione deuenimus poſſeſſione purgati receperimus, tunc vere vt ab exilio in patriam reſtituti, vel à peregrinatione longinqua in genitalem domum reduces, poterimus dicere, *Portio noſtra Deus in terra viuentium.* Quamobrem temporalium quæ in hoc ſeculo habentur bonorum relictio, ſiue diſtractio, non decurſus ſtadij, ſed ingreſſus, nec vt meta, ſed ianua eſt. Non enim Athleta tum vincit, cum exuitur, qui ideò nudatur vt incipiat dimicare, cum legitimè certauerit coronandus. Et natator amnem interpoſitum ſuperaturus exuitur: nec tamen hoc tanto apparatu quo ſe diſpoliauerit tranſnatabit, niſi totius corporis niſu & omnium cita mobilitate membrorum, & propulſu pedum, & remigiò brachiorum, & lateris illapſu, torrentis impetum ſcindat, & laborem natationis exhauriat.) Sic ſecum, ad eam Chriſti adhortationem ritè abs ſe libratam S. Paulinus, cui præiuerat, non diſſimilia apud ſe commentatus S. Antonius.

Quod autem per illud tempus admodùm infrequentia eſſent in Aegypto monaſteria, vel tot turbinibus per Decium alioſq; anteriores & poſteriores Chriſtianæ fidei perſecutores excitatis euerſa eſſent, nec dum inſtaurata; ex vſu erat (vt poſt S. Athanaſium optimè admonuit Caſſianus a origines vitæ monaſticæ ac cœnobitica exponens ex perſona Abbatis Piammonis;) Ex vſu inquam erat, vt qui Euangelicæ perfectionis ſtudio tenerentur, haud procul quiſque ab vrbe ſua aut pago, ruri degerent, ſemotique à tumultu jſque motibus quos magnis Vrbibus non ſecus ac cymbulas magnis nauibus comitari, aiebat S. Baſilius b ibi exercerētur. Vnde monazontes & monachi ſunt appellati iuxta Caſſianū. Qui verò eremum penitiorem adijſſet nullus ad eam diem innotuerat. Pauli quippè Thebæi vita abſcondita cum Chriſto in Deo, omnes latebat mortales.

a Collat 18. c. 5.

b orat. in Gord.

c cap. illo 5. & 6.

tales. Itaque Antonius, bonum ſenem qui à prima ætate haud procul a communi pago degens, in ſancta ſimplicitate ac ſeceſſione à curis ſeculi Deo militabat, imitandum ſibi primo ſumpſit, tum alios conſimilis inſtituti pios viros, ſicubi inaudiſſet aliquos eſſe, frequentabat religioſa ſedulitate, libans ex ſingulis, velut apis ex lectis floribus, quod apud vnumquemque ſingulari gratiæ munere illuſtrius deprehendiſſet, id quod ſuos poſtea Caſſiano a teſte docuit, negans vnam pro omnibus virtutibus ſat eſſe debere ideam, cũ Spiritus ſanctus munera ſua apud varios eminere voluerit, nec in vnum ſolum omnia eximia congeſſerit. Ac ne per occaſionem ſuſtentandi corporis, corrogare à cognatis & notis ſtipem, vel vltro oblatam admittere cogeretur; ſicque priſcarum neceſſitudinum nomina in eius pectore viua perſtarent, agendi cum Deo partes, intercidebat opere manuum; quo & tenuiſſimum ſibi victum, & pauperibus pauper ipſe ſolatia prouidebat. Exercens tanto ante, quod poſtea grauiter infixit, de opere manuum ſanis non prætermittendo: vt diſſerit in eius perſona b Caſſianus. Tenuit hunc vitæ curſum Antonius, per annos circiter quindecim.

a lib. 5. de inſtit. renunc. c. 4.

b Collat. 24. c. 11. & 12.

Extimuit Iuuenis Antonij tantum feruorem, Satanas. Itaque eum, ſi qua aditus pateret, auocaturus à tam pijs cœptis, cogitationibus tanquam turbinibus, fluſtrum eius, & tranquillitatem hactenus imperturbatam concuſſit: Sed maximè fœdis adoleſcentem aggreſſus eſt pellacijs. refricans illecebroſa viſa, quæ olim innoxius hauſerat; & totum corpus ijs incendens ardoribus; vt conflagare videretur. Quas Veteratoris nequiſſimi nocendi artes, obiectu Vmbonis diuinorum iudiciorum, & aſſidua Dei ad opitulandum interpellatione, repellebat, tanta ſemper fœlicitate, vt pertæſus certaminis Satan, prior manus daret, & Antonio ſpecie pueri nigri, & horridi obuerſans, nec munus ſuum vrgendi ad fornicationem iuuenes, celans; haſtam abs ſe abijci, herbamque porrigi profiteretur, quantumuis plurimos ad eam diem pellacijs ſuis atque mellitis amaratudinibus malè ſopitos, confeciſſet. Quod Antonius

tonius ſapienter, ad Dei auxiliantis gloriam, non ad ſuam conſtantiam retulit; ne quam carne coercita victoriam pararat, ſpiritu per ſuperbiam elato, male cautus amitteret, ac virgo corpore perſeuerans, anima deuirginaretur, quod per ſuperbiam fieri, Probam admonebat S. Fulgentius. a. Satis vero gnarus Antonius, Satanam non raro ſimulata pace ſecuros perdere, irrequietus ſibi hoſtis, per ieiunia, ſomnique ac cibi parcitatem, chameunias, cilicia, & omne genus imbonitatis, corpus ſuum caſtigauit aſſiduè redegitque in ſeruitutem: animam interim diuinarum lectionum & dulci orationis pabulo largè opipareque reficiens.

a epiſt. 3. c. 18.

Perindè autem ac ſi in tyrocinio duntaxat pietatis ad eam diem hæſiſſet, annos iam natus quinque ſupra triginta, maiora cogitans, relicta ſede quam ad eam diem incoluerat, ſeceſſit ad aliquantulum inde ſeiuncta ſepulchra: in quorum vno ab homine noto qui ei ſubinde tenuem victum ſuppeditaturus eſſet, includi voluit. Non primus ſepulchro viuum ſe immiſit S. Antonius iam olim Democritum ſolitudinis ſtudio inhabitaſſe ſepulchrum, habet Laertius; & Lucianus in Philopſeude. Iulius Sabinus, aliquot prælijs victus, abdidit ſe in ſepulchro per annos nouem. Et quia quod vni vni eſt occaſio virtutis, alteri nequitiæ eſt inſtrumentum.

Abſcondunt ſpurcas & monumenta Lupas aiebat Poeta; vnde & *Buſtuarias* nominat. b Iura huiuſmodi commoratione in ſepulchro interdicētia excutit Kirmannus c in opere de funer. Rom. Mittamus hęc ominoſa nomina. Inter pietati impenſius addictos, & (vt græci appellant) Philoſophos Dei, ſeculum deſerentis erat hęc ſeceſſio in ſepulchra, olim non infrequens. Sic enim S. Athanaſius tempus non modicum in ſepulchro hæſit. Et S. Syncleticæ (cuius vitam idem S. Athanaſius, ad informationem alterius ſexus conſcripſit mortuis parentibus vt ſecederet à ſeculo, ſepulchro non procul ab vrbe remoto ſe intulit, & reciſa coma, tunc primùm *Solemni nomine*, dicta eſt *Virgo* vt ait S. Athanaſius. f In S. Simeonis priſci hiſtoria ſcri-

b lib. 1. Epigr. 35
c l. 3. Ep. 91.
d l. 3. c. 22.
e In Act. S. Syncleticæ c. 2.

bit Theodoretus, e repertum ſenem in ſepulchro effoſſo inhabitantem, iuxta ſocij pridem defunctiſepulchrū. Aequè Petrum Galatam in ſepulchro degentem ad Antiochiam, deſcribit idem Theodoretus a vt & Zenonem; b De Alexandra fugiente proci inſanos amores, idē narrat in Lauſiaca Palladius; c itemque de adoleſcente cōpuncto, idem habet ex Abbatis Ioannis narratione. d

a Cap. 9.
b Cap. 12
c Cap. 5.
d Cap. 45

Alia exempla paſſim occurrunt. Et eſt aptiſſima, homini, plenam à ſeculo ſeceſſionem cogitanti, inhabitatio ſepulchri; vt intelligat ſe iam mundo mortuum ac ſepultum eſſe: in quam rem piè diſſerit cum Giſelberto incluſo Petrus Cluniacenſis. e Hac ergò mente ſepulchrum ſubiuit, maiora moliens S. Antonius.

e Lib. 1, ep. 20.

Non ferens autem tantos eius animos Aduerſarius, adeò in eum atrociter ſæuijt, vt adueniens Nutritius, iacentem humi ſemimortuum, fractis foribus repererit abſque ſenſu & voce: humeriſque impoſitum, in Sedem priorem reportauerit: vbi præ vulnerum horrore, triſte ſpectaculum ciuibus circum eum addenſatis præbuit; donec ſibi aliquantiſper redditus, ſolutis in ſoporem cœteris, à Nutritio ardentiſſimis votis expetijt ac exorauit, vt vnde eum extulerat, clam omnibus reportaret. Ibi cum per recentes plagas ſtare non poſſet, iacens hoſtem laceſſebat, & ad grauiora damna (ſi per Deum liceret,) inferenda prouocabat; nihil territus immanibus ſpectris, cum hiantis vndecumque habitaculi, tum irruentium inconditis clamoribus ſibiliſque ferarum atque ſerpentum; multiplicis & horrendiſſimæ formæ, qua ſpecie ad terrendum Chriſti pugilem, ſe obiecit Satan. Non eſt quod quis eam communis hominum Hoſtis in beſtiarum formas deiectionem miretur, vel S. Antonio ſingularem putet. Frequens id eſſe Satanæ maleficium, docemur ex Actis Sanctorum. Quod enim corruerit proditor Angelus, & in beſtiales ſenſus atque affectus, cum ipſe ſuo modo degenerauerit; tum mortalibus vt ſimiliter exerrent, autor fiat; amat ſub huiuſmodi ſchemate apparere; nunc multiplicis beſtiæ vt in propoſito S. Antonij exemplo, & in conſimili S. Hilarionis deſcripto à S. Hieronymo,

Digitized by Google

ronymo, ac in alio de S. Guthlaco Anachoreta, vt in eius Actis prodit Gulielmus Rameſius; Nec diſſimilia in S. Sabæ Abbatis, & S. Romualdi, ac S. Gulielmi Aquitanorum Ducis, aliorumque quorundam Sanctorum rebus geſtis habentur: Aliàs vero formam induit vnius ſingularis beſtiæ, ad hominem implanandum & agendum in ruinam; quandoque grandis & immanis, vt vrſi; vel tauri, bouiſve cornupetæ, aut leonis, draconiſve, aut equi efferati. Sic Palladius [a] Dæmonem forma draconis ſeptuaginta cubitorum, exhibitum prodidit. In forma tauri immanis, viſum bubulcis in fundo Barbiliano, ſcribit Ioannes Diaconus. [b] Specie bouis cornupetæ, apparuit S. Catharinæ Suecæ, filiæ S.æ Birgittæ. Viſus eſt in forma equi truciſſimis oculis, ac horrente iuba, in ſpecu Annebergica, de qua ex Georgio Agricola Munſterus. [c] Etiam ad beſtiolas, vt nobis noceret, dejecta eſt Satanæ ſuperbia. Vnde ſpecie nigræ formicæ, viſus legitur in Actis S. Theodori Archimandritæ. Specie muſcæ, in Actis S. Germani Pariſienſis Epiſcopi a Fortunato conſcriptis. [d] Specie paſſeris, S. Dominico viſus eſt, ex Theodorico de Apolдia. [e] Specie merulæ auis S. Benedicto, vt eſt apud S. Gregorium. [f] Specie corui, S. Macario Alexandrino. Specie felis, religioſo homini apud Ioannem Diaconum. [g] Quæ & alia Georgius Stengelius [h] exſcripto Petro Thyræo [i] minute annotauit. Tanti eſt Satanæ, hominis implanatio, & à Deo abductio, vt nullam ſibi (licet ſecundùm naturam præcellenti ſpiritui,) indecoram aut reſpuendam formam putet, beſtiæ deſpicatiſſimæ ac fœdiſſimæ. Omnis illi turpitudo nitet, dummodo hominem ex Dei odio quo flagrat incenſiſſimo, deformet, & periculo exitioque objiciat, quod cum in pleriſque ei feliciter cedat, in S. Antonio fuit prorſus irritum. Nam omnes illæ tot ferarum truces formæ, & dirus auditus; mox ad imperſonalem (vt loquuntur,) certè viſui inconſpicuam, auditu ſolo perceptam, Chriſti pugilem ſuum ſolantis, præſentiam & allocutionem euanuere.

a Sect. 25
b L. 4 vitæ S. Greg c. 89.
c L. 1. Coſmogr. c. 15.
d Cap. 27 & 52.
e L. 2. vitæ S. Dom c. 7.
f C. 2. vit
g L. 4. vit S. Greg. c. 93.
h in paræn. de caſu Lucif. c. 12.
i L. de locis inf. c. 19. n. 11

Hac perfunctus victoria Antonius, iam tricenariò

maior, ſub Chriſti annum 285. auſpicante imperium Diocletiano, cum à pio Sene (de quo ſuperiùs,) ad ſeceſſionem in deſertum inuitato, repulſam paſſus eſſet; rem arduam & eatenus infrequentiſſimam aggreſſus, itineri non trito ſolus ſe dedit: cui vt remoram iniiceret omnis doli Artifex, diſcum progredienti argenteum, mox etiam ingentem auri probati, nec imaginarij, ſed veri, maſſam obiecit, vt hominem ea ſpecie ineſcaret; & caducis affixum, ab æternis auocaret. At ille totus in Deum intentus, fluxas opes deſpexit, & rapido curſu, perinde ac ſi atrox immineret incendium, ad montem vſque perrexit; ibique flumine tranſuadato, in deſerto Caſtello, Sede quondam monetæ corruptorum, tunc autem ſerpentum, (vt aſſolet,) domicilio, nouus hoſpes habitauit: paucis buccellatis panibus quales nunc ſunt nauticæ coc̃turæ, & paſſim olim Thebæi ad annum incorruptos ſeruabant, ac pauxillo aquæ inſtructus: quam annonam bis in anno, per tectum ex condicto ſubmiſſam, ita excipiebat, vt obſtructo diligenter lapidibus Caſtelli aditu, foras ipſe nunquam procederet, & nemo ad eum adiret, nec colloquia cum vllo miſceret. Tantùm nonnullis qui ad eum identidem ventitabant, ad oſtium pernoctantibus, fragor ingens tumultuſque, velut cum Antonio contendentium audiebatur; adeo horrificus incondituſque, vt omnes præ metu rigeſcerent; & ab Antonio queſtubus eiulantium flexo, animandi eſſent, ad communem hoſtem, crucis Chriſti obiectu intrepidè repellendum. Sic Antonius annos viginti ſolitariè tranſegit, atque ab hominum ſegregatús conſpectibus perdurauit.

Anno Chriſti 305. Facto denique omninò multorum, hominem Dei videre geſtientium concurſu, euulſis penè per vim obicibus, è ſuis adytis erumpere, ac in conſpectum ſe dare eſt adactus. Perculit omnes, illæſa poſt tantam inediam, & concluſionem, luctaſque cum hoſtibus ferociſſimis, ſpecies corporis, nullo detrita pallore, nullo ſitu obſita: quam renidens in vultu animę hilaritas, & foras promicans mentis iucunditas nullo temerata

nubilo;

nubilo, cumulabat. Sermo verò ſale conditus, & ad numinis obſequium omnes incendens, velut flamma innocua ex eius ore manabat, inſigni audientium fructu. Et confirmabat Deus, ſequentibus ſignis ſerui ſui ſermones. Cum enim inter cœteros, ægri plerique, & arreptitij, varijſque exerciti ærumnis concurriſſent, mirificauit dominus, eorum liberatione & optata ſoſpitatione ſanctum ſuum. Quæ Chriſtiani nominis per S. Antonium illuſtratio, opportunè eo tempore accidit. Digrediente enim è Vicenarijs illis Caſtelli ſemiruti latebris Antonio, ſub annum Chriſti 305. quo Conſtantinus Magnus & Galerius Maximinus Cæſares ſunt dicti; cum Maximino Chriſtianorum hoſti infenſiſſimo, Orientis ac Aegypti adminiſtratio obtigiſſet, immane quantum trux beſtia ſæuierit in gentem ſanctam, quantos neci dederit, quamque diris modis multauerit. Multis omnino, miraculorum S. Antonij fama, multis vulgatiſſima eius ſanctitas, ſaluti fuit, vt in fide ſtabiles ac inconcuſſi flabris perſtarent. Quin etiam multi odore ſanctitatis eius illecti, in eius diſciplinam dedere ſe ſe, in varia Monaſteria B. Antonij ductu ſtructa, confluentes ſub hæc tempora, ac præter cæteros S. Hilarion, tunc quindennis. Id enim eſt quod in Hilarione Hieronymus ait, annos quindecim natum, ab Antonio, quem pellectus celebritate nominis adierat, poſt bimeſtrem commorationem, digreſſum eſſe, pelliceo ependyte cum monachum conſecraret ab illo donatum; teſtatus inſuper eximia viri decora aſſiduè celebraſſe Hilarionem quem ait in Antonio, tantam ſpiritus diuini, vndecunque ſe prodentis exuberantiam, tantum vitæ ordinem morumque grauitatem, & in oratione iugem frequentiam, Zelum, alacritatem, vitamque planè labis puram obſeruaſſe; nihil vt in eo homine notari poſſet minùs acceptum; niſi quod pati in eremo populos concurrentium, vni congruum eſſet Antonio; quippè viro forti victoriæ præmia accipienti; cœteris, quibus ſe annumerabat, velut tyronibus, opportuniorem eſſe infrequentiam & latebras procul à tanto B. Antonij ſplendore captatas.

tas. Illuſtriſſima ſunt & omnis ſapientiæ refertiſſima, quæ S. Athanaſius à ſancto Viro ad informatos ab ipſo fratres diſputata de quibuſuis Religioſi hominis ornamentis, & neceſſarijs in eo ſtatu cautionibus, refert per multa capita, a non abſque allegatione euentuum illorum quibus eruditus ipſe proprio fuiſſet experimento, & vſu admodùm diuturno.

a Cap. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Anno Chriſti 306.

Sic incumbenti in ſuam & aliorum perfectionem B. Antonio, procul ab Vrbibus & mundi procellis, iniecta eſt neceſſitas Alexandriam adeundi; quod ibi tempeſtas horrida in Chriſtianum nomen deſæuiens, multorum conſtantiam exerceret. Vltra ſexcentos ſexaginta illuſtri tunc martyrio perfunctos numerant: ac nominatim S. Petrum Alexandrinum, totius ſanctitatis delubrum, ac exempli planè ſingularis Antiſtitem. Aderat certantibus, nequicquam fremente impio Iudice, & omnes monachos ſecedere mandante, S. Antonius. Animabat ſacros Chriſti pugiles, ad comprobandam conſtanti profeſſione deuotam Chriſto fidem; oſtentabat repoſita victoribus præmia. Procedentem Iudicem, vltro incurrens, ſuo prouocabat aſpectu, ſi litare & ipſe ſuo corpore poſſet numini, adiunctus ſacris martyribus. Sed Martyrium, merum Dei donum eſt, & plerunque nec cogitantibus ingeritur, alijs pro eo ſatagentibus denegatur. Itaque tametſi non defuit martyrio vir ſanctus, martyrium tamen eum defecit, & rebus Eccleſiæ compoſitis, non niſi animo & voluntate martyr, ad quotidianum monaſterij martyrium eſt regreſſus, tanto alacrior in corpore contundendo deinceps futurus, quanto per captatam martyrij perpeſſionem, ad vitæ huius fluxæ contemptum, & ardens æternæ deſiderium, inſueuerat. Et Deus ſerui ſui gloriam, nouis ſubinde curationum ſignis illuſtriorem reddebat: quæ illi multiplicis faſtidij ſementis fuit, dum & aſſiduis concurſibus aduentantium, quà ſibi ſuiſve ſalutem expoſcentium quà coram tanta Dei opera conſpicere cupientium frequentatur; & à populari aura applaudentiumque celebritate timet inflationi ſpiritus, quæ tam multos improuidos infœliciſſimè euertit;

tit;

tit; non ferentes illos in ſpeciem Zephyros, reipſa decumanos, eò fortiùs ſubruentes, quo molliùs concutiunt, & blandiùs agitant, ita vt niſi caueatur, euortant.

Sic pertæſum antiquæ ſedis Antonium, cogitatio ſubijt ad ſuperiorem Thebaidem, (locum vt putabat ſcopo ſuo cougruentem,) migrandi; eo quod ignotus omnibus quiete optata ſibi videretur fruiturus. Iamque à fratribus inſtructus panibus, ad fluminis ripam conceſſerat, operiens qua tranſmitteretur nauiculam: cum voce de cœlo facta monetur, conſultiùs facturum, & ad captatam quietem opportuniùs, ſi in deſertum interius quod Saracenorum mercatorum tunc turma penetrabat, ijſdem adiunctus migraret: quod & fecit, tridui aſpero per auia loca itinere, cum Saracenis progreſſus, donec peruentum eſt ad montem per mille circiter paſſus ſublimem; ad cuius radices aquæ exprimuntur potulentæ. Ibi, à Saracenis, comitate hominis captis diuulſus, (nec abſque eorum ſenſu, adeò virtus etiam fera & agreſtia pectora cicurat,) Sedem à Deo ſibi conſtitutam agnoſcens hæſit: loco, vt Palladius oculatus teſtis habet, a valdè terribili ac præcipiti; ſed tamen in ea ſitus horriditate non inamœno, vt hæc de eo S. Hieronymi verba præferunt. (Saxeus & ſublimis mons per mille circiter paſſus; ad radices ſuas, aquas exprimit: quarum alias arenæ ebibunt, aliæ ad inferiora delapſæ, paulatim riuum efficiunt; ſuper quem ex vtraque ripa palmæ innumerabiles; multum loco & amœnitatis, & commodi tribuunt.) Hic ipſe eſt, qui in S. Antonij vita plerumque dicitur *mons inferior & exterior*, præ alio interiore & altiore, de quo mox. Conſedit in eo inferiore monte aliquandiù, procul à ſeculo Antonius, ſed admodùm vicinior Deo. Longum penèque ſuperuacuum ſit dicere, quibus diuinis viſis ibi colluſtratus quàm multas cum dæmonibus in eum ferociſſimè tumultuantibus pugnas paſſus; quam virtutum feracitatem in teſquis illis & tam auia ſeceſſione collegerit.

Anno Chriſti circiter 315.

a Cap. 74 Laus.

Neque tamen quod optabat, planè ſolus diù degere

eo

eo loco potuit. Ex quo enim ſiue ſollicita fratrum quos reliquerat charitate, ſiue Saracenorum per illud deſertum turmatim identidem commeantium relatione, innotuit eius commoratio, à non paucis, ibi quoque, eſt frequentatus; ita vt venientium frequentiam, (quod D. Hieronymus in Hilarione teſtatur,) fugere plerumque adigeretur B. Antonius, ſubiens in montem interiorem qui item *ſuperior* dictus legitur; quo præ arduitate & horrore viæ, magnates conſcendere non poterant; ideoque vt B. Antonium ad ſe inde euocarent in montem inferiorem ſiue exteriorem, deprecatores deſcenſus ſubmittebant ad eum, noxios catenatos, quibus præ miſeratione non auderet eam gratiam negare. Ita autem cedebat calamitoſorum precibus, vt fuſis pro eis ad Iudices ac Duces poſtulatis, longiore mora negata, mox regrederetur in ſuum

a Cap.53. vitæ.

(vt vocabat) Viuarium; extra quod, vt piſci extra aquã, perbreui eſſet moriendum. Locus erat in ſublimi montis vertice, ad quem quaſi per cochleam arduo valdè aſcenſu iter patebat. Ibi ſpelunca erat, ſic enim vocatur in verbis Seniorum, cum de Bulogij & Elephantiaci ad B. Antonium acceſſu. Ea ſpelunca conſtabat duabus in viuo ſaxo exciſis cellulis, addita tantùm oſtia habentibus; quarum cuiuſque menſura non plus per quadrum tenebat, quàm homo dormiens extendi poterat. Quæ item menſura erat illius cellulæ, iuxta hortum atque pomarium in inferiori monte ſtructæ, in qua eius ſtratum & quaſi calens adhuc cubile, deoſculatus poſtea tanto affectu eſt, illuc triennio à Sancti viri obitu peregrinatus S. Hilarion. Hic illius primus receſſus, qui vt præmiſi mons exterior ac inferior dictus eſt, cum ante B. Antonium auius eſſet, tritus ab hoſpitum frequentia haud ita multo poſt fuit.

Itaque ne fratres pro tranſmittendis ad eum panibus anxios, deinceps fatigaret; ac vt aduentantes ſolatiolo aliquo recrearet, ligonem ſibi bipennem ſiue biſacutum, ac frumenti pauxillum ad ſoli culturam, in parte montis laborem non fruſtratura popoſcit; atque exinde annuum ſibi panem, neminem grauaturus confecit:

fecit: ac in paruo irriguoque terræ ceſpite, ad hoſpitum ſolatium, olitorium commeatum prouidit: vites item arbuſculaſque plantauit: piſcinam ad irrigandum hortulum, multo ſudore eſt fabricatus. Paulo ante S. Antonij obitum, (vt Iſaac triennio poſt eum cœlo illatum, S. Hilarioni referebat) cum in hoſpitum refrigerium ac paruulam meſſem, feræ quibus deſertum ſcatebat Conagros fuiſſe ait in Hilarionis actis Hieronymus,) aquarum præſertim illic ſcaturientium illiciente deſiderio, concurrentes, populabundæ irruiſſent; per vnam earum apprehenſam atque increpitam, denunciauit omnibus in nomine Domini vir Dei, vt deinceps iniuria abſtinerent; nec illuc aliquando, infeſtæ, & præter quam ad aquas potandas regrederentur: quod exquiſite omnes ſeruarunt. Hac inſtructum annona, Fratres multis ac magnis precibus vix flexerunt, vt oliuas, ac legumen, & oleum, quæ poſt menſes aliquot miniſtrabant, dignaretur admittere. Qui item ventitabant ad eum pij hoſpites, munuſcula deferebant; quos ne per repulſam mœſtos dimitteret, ita excipiebat, vt operis ſui quippiam gratus reponeret. Nam in eum finem ſportellas conficiebat, aut fiſcellas texebat iunco, vel caniſtros lentis plectebat viminibus: quem in Aegyptiorum poſtea cœnobijs (Hieronymo ad Ruſticum a teſte,) percelebrem vſum, B. Antonij exemplum inuexit. a Epiſt. 4

Anno Chriſti circiter 320.

Abſtractus eſt ab amicæ quietis ſede, non ita multo poſt homo Dei, (hoc illi paſſim nomen, etiam apud Iudæos ac Ethnicos, teſte B. Athanaſio.) Vrgentibus enim monachis, vt ſtructa quondam alibi monaſteria, tandem aliquando reuiſeret, denique ceſſit rogantibus, & impoſitis camelo panibus & aqua potabili, quæ in arente via, quærenda non erat, dedit ſe itineri: in quo deficiente aquæ apparatu, omnibus horrore mortis à ſiti imminentis exterritis, ad orationem verſus, ebulliente ibi fonte omnes recreauit. Confecto denique itinere, magna voluptate perfuſus eſt, ex conſpectu ſeruorum Dei, ac ſummæ perfectionis quam profitebantur; nec non ex ſorori Virginis quam paruulam tanto

ante

Digitized by Google

ante reliquerat, tunc vetulæ & aliarum puellarum Parthenoni præfectæ, eximijs in Chriſtiana ſanctitate profectibus. Quæ viro optimo, ac pleno ſpiritu ſancto & fide, copioſi gaudij in Domino fuit materia. Sed non ita multo poſt, ad amicas ſedes & deſignatam à Deo ſeceſſionem feſtinato eſt regreſſus: vbi & ſanctis monitis Fratres qui complures exteriorem montem incolebant, ſollicitè informauit, & exteros qui curationum gratia, præſertim arreptiuorum liberandorum, ad eum frequentes commeabant, admiratione compleuit operum quæ per illum Deus edebat, & propheticæ notitiæ, qua inſtructus, & futura & procul poſita peruadebat liquido. Omnibus erat affabilis ac comis, ita vt neminem vnquam abs ſe mœſtum dimitteret. Quam nominatim ob cauſam, Bonum Medicum obtigiſſe Aegypto in Antonio, dixit ſcitè S. Athanaſius; & probauit quia, (Quis non triſtitiam apud Antonium mutauit in gaudium? Quis non iram vertit in pacem? Quis orbitatis luctum, non ad eius temperauit aſpectum? Quis non mœrore paupertatis quo premebatur abiecto, ſtatim & diuitum deſpexit opulentias, & in ſua lætatus eſt paupertate? Quis poſt laſſitudinem Monachus, non eius vegetatus eſt hortamentis! Quis adoleſcens ſuccenſus ardoribus, non de eius admonitu, pudicitiæ amator fuit? Quis vexatus à Diabolo, ſine medela rediit?) Omnibus ergo erat comis & commodus: Tantùm ab Hæreticis ac Schiſmaticis abhorruit, ne pacificè quidem ad eos locutus, niſi quæ ad reuocandos ab errore conducerent; conteſtari ſolitus, talium amicitias atque colloquia, perditionem animarum inferre. Nominatim verò Arianos adeo auerſatus eſt, vt cum aliquos eorum, videndi ipſius curioſitas adduxiſſet, compertos de monte fugauerit; dicens infideliſſimæ ſectæ contagium præ quibuſuis ſerpentibus eſſe pio homini deuitandum; poſtremam hanc eſſe hæreſim & præcurſorem Antichriſti confirmans; ſiue ex eo vſu quo nouiſſima hora dicta eſt, tot ſeculis antegreſſa orbis clauſulam; ſiue ad inſignis virulentiæ ad verticem ſummum prouectæ, expreſſionem.

Longi

Longi itineris neceſſitatem, eorumdem Ariomanitarum nequitia, & ſerpens vt cancer ſermo, Dei homini iniecit. Mentiebantur, & impudenter ſpargebant in vulgus, eadem ſecum ſentire Antonium, quæ illi doloris & iuſtarum irarum ferax materia fuit. Itaque rogatus ab Epiſcopis, & vniuerſis fratribus, quodque nominatim expreſſere S. Hieronymus [a] atque Ruffinus, [b] à S. Athanaſio accitus Alexandriam, ad Catholicos iactata eius peruerſione offenſos, errore ſoluendos, & ſuffundendos pudore hæreticos, longo ac difficili itinere, quod Religionis ſtudium & proximorum charitas complanauit, in eum veluti alterum orbem terrarum, (vt Eunapius Vrbis vaſtitatem inſinuans dixit,) feſtinatò perrexit ſub annum Chriſti 330. eo pretio operæ, vt paucis diebus ex Idolorum ſuperſtitione plures ad Chriſtum adduxerit, quàm ſolerent anno integro ſtudijs ſacrorum miniſtrorum lucrifieri: & multiplicibus ſupra naturam operibus ac ſanctorum ſermonum efficacitate adeò roborauerit fidelium animos, vt neget S. Athanaſius, [c] qui aderat & omnia coram vſurpabat oculis, vllam orationem poſſe adæquandæ rei geſtæ parem eſſe. Nulla tunc ætas, nullus ſexus domi remanſit. Omnes ad ædem ſacram, miſtis cum fideli plebe Paganis, ipſiſque idolorum ſacerdotibus, vt hominis Dei fruerentur aſpectu, & verba gratiæ ex eius ore procedentia haurirent, cupidè aduolarunt. Didymus, Ruffino [d] ac Hieronymo [e] teſtibus, affuit, & de mœrore ob cœcitatem eſt redargutus. Cum omnium deſideria per dies paucos acuiſſet potiùsquàm ſedaſſet, inliſo publicè Ariomaniæ anathemate, impiger ad montem vnde venerat remeauit.

Anno Chriſti 330.

[a] Ep. 33.
[b] Lib. 3. vitæ Patrum n. 218.
[c] C. 16. vitæ.
[d] 2. hiſt. c. 7.
[e] Ep. 33.

Commiſit ſemel, iterum, ac tertiò, diſputationum prælia in exteriori illo monte cum aduentantibus illuc ſeculi ſapientibus, reuera deſipientibus; qui in adulta iam Chriſtianiſmi luce Ethniciſmo miſerè indormiebant. Et quod Grœci eſſent, nec Aegyptium Antonij idioma perciperent, adhibito Iſaäco (quem S. Hieronymus in Hilarione, memorat Antonij fuiſſe interpretem,) de Chriſtianæ Religionis veritate & ſancti-

tate

Digitized by Google

tare accuratè diſſeruit; E contrario autem Platonicorum commentis de animæ è Dei ſubſtantia deciſæ corporatione, Pythagoriciſque delirijs, de hominum anima, in beſtiarum vel auium migrante corpora, inſultauit. Falſorum vero numinum vera crimina, & propudioſas libidines, ipſiſmet Ethnicis decantatas, adeo potenter exagitauit, vt maximè puderet viros mortalium opinione ſapientes, & initæ congreſſionis cum Antonio, & retectionis tot probrorum ac turpitudinum, ac omnis generis ſcelerum, quibus inquinata talium Deorum vita referretur. Quod autem gentibus ſtultitia eſſet Crux Chriſti, & homines animales non percipientes quæ ſunt ſpiritus Dei, improperium Chriſti, abiectamque in ferali ligno vitam, aſſiduè ingererent, ſapientiſſime demonſtrauit totum Chriſti dedecus Sacramentum eſſe humanæ ſalutis, nec Domino amanti animas indignum videri aut indecorum poſſe, quicquid ad animarum ſalutem, & Dei in earum releuatione gloriam, eſſet accommodatum. Sic cõtuſos fortibus diſputationibus ſeculi Philoſophos, de hominis idiotæ tanta ſapientia attonitos, mirabiliumque multorum in eorum oculis circa ægros & arreptiuos editorum magnitudine percuſſos, dimiſit, hominis Dei virtutibus diuiniſque ornamentis vbique atteſtaturos.

Anno Chriſti circiter 335. Captabat amicas ſibi latebras Antonius, & Deus in ſeruorũ ſuorum gloriam tanto prouidentiùs excubans, quanto illi obſcuritati ſuæ ſtudent ardentiùs, illuſtrem toto orbe reddebat, adeo vt non infirmorum modò vel mediocrium e vicinia hominum officijs frequentaretur; ſed ipſorum orbis capitum, Coſtantini Magni ac liberorum eius, qui ad Orbis clauum patre haud ita multo poſt vita functo ſederunt, ſupplicibus literis ad gratiam apud Deum ſuffragator expoſceretur. Quod ille Neophyti Imperatoris vereque vt Theodoretus ſcitè dixit, [a] Zorobabelis noſtri, ac Cæſarum filiorum, amoris ac reuerentiæ erga ſe pignus, ſalubrium monitorum antidoto repenſauit. Ante annum Chriſti 338. hæc literarum Antonium inter ac Conſtantinum ac fi-

a In Rel. hiſtor. ſect. 1.

Anno Chriſti 337.

314

ac filios cõmercia interceſſiſſe fatendum eſt; cum Imperatorem vt Græci in ſacris appellant *inter Reges Apoſtolum*, dicto Chriſti anno, ipſo Pentecoſtes die, exceſſiſſe è viuis conſtet docente Euſebio. a Neque tamen abnuo, quominùs S. Antonius, aliàs quoque ad Conſtantinum pro S. Athanaſio literas dederit, vt Sozomenus b notauit; cum etiam ad Balacium minaces pro fidelibus literas dederit.

a l. 4. de vita Cõſtant. c. vltimo.

b l. 2. c. 29.

Fluebant proſperè Chriſtianæ Religionis negotia, Conſtante atque Conſtantio pijs principibus, cum paterna hæreditate ſtudium fouendæ ac propagandæ Religionis ſortitis: quorum metu Conſtantius, ne Arianum virus quod propinantibus nefarijs Epiſcopis combiberat, manifeſtè effunderet, principio comprimebatur. Sed Conſtante poſtea ad Pyrenæos ſublato; Conſtantino autem iuniore per Conſtantis quem appetierat exercitum obtruncato, Imperium vniuerſum germanorum caſu deuolutum eſt ad Conſtantium, qui omni metu ſolutus, affectum quo erga Arianam peſtem ferebatur, prodidit, peragens omnia ex Arianorum ſententia; itaut Catholicæ fidei euerſionem molitus eſſe videretur. Itaque nouas turbas queis Satan perbreui Eccleſiam infeſtaturus erat, non celauit diuina bonitas Antonium, qui anno 339. de omnibus illuſtrante Spiritu Sancto commonitus, & Serapioni Thoſmue Epiſcopo, (viro Sanctiſſimo ac vt in Catalogo ſcriptorum prodidit S. Hieronymus gratia apud B. Antonium valenti;) & alijs fratribus qui aderant funeſtum viſum enunciauit, tantis cum lachrymis, & tanta intercíſione per gemitus, vt omnes cohorreſcerent. Viderat enim altare domini circundatum multitudine mulorum, qui crebris calcium ictibus, omnia diſſipabant. Fuit c qui hæc referret ad procellam poſt Conſtantij obitum à Iuliano Apoſtata excitatam. Sozomenus d ad Valentis quoque tempora pertinere hoc viſum cenſuit. D. Athanaſius e conſentiente S. Chryſoſtomo diſertè retulit ad ea quæ biennio poſt, anno 341. per Arrianos effrenes ſub Gregorio Cappadoce truculentiſſimo lupo pellem paſtoris præferente ſunt edita. (Tunc

c Simp. Camp. in præf. Epiſt. S. Ant.

d l. 6. c. 3.

e c. 51.

Eccle-

Eccleſiarum rapinæ, tunc diuinorum temeratio vaſorum; pollutis Ethnicorum manibus ſacra polluta ſunt miniſteria, tunc Paganorum opificum præſidia aduerſus Chriſtum comparata, cum aſſumptione palmarum, (quod idololatriæ apud Alexandriam inſigne eſt:) ad Eccleſiam pergere compellebantur Chriſtiani, vt Arianorum populi crederentur. Proh Scelus? Horret animus replicare quæ geſta ſunt. Virginum matronarumque ereptus pudor, ſanguis ouiũ Chriſti in templo effuſus, veneranda reſperſit altaria: baptiſterium pro voluntate gentilium pollutum eſt. Nihil defuit viſionis veritati; vt monſtraretur effectu, quod calcitrantium mulorum indiſciplinatio, Arianorum eſſet impietas.) Sic S. Athanaſius compendio expreſſit quæ diſtinctiùs ac pleniùs de eadem clade ſcripſit in Epiſtolà ad orthodoxos. Eodemque modo, alijs occaſionibus Deus per imagines allegoricas futuras procellas detexit. Et vt cœtera exempla premam, quibus diuinis viſis clades Africana Eccleſiæ prænunciata fuerit, aliquanto anteriùs quàm accideret, apud Victorẽ Vticenſem a legere eſt.

a l.2.de perecut Vandal.

Coortam biennio poſt, tempeſtatem, ſicut oratione ac gemitibus præuertere, ac ſi fieri poſſet diſſipare in ſemine conatus eſt S. Antonius; ita omni ſtudio, & apud Deum, & apud homines, comprimere collaborauit. Itaque fortibus literis Gregorium Cappadocem, S. Athanaſio exacto ab impijs ſuffectum, & Balacium militiæ in Aegypto Præfectum, Gregorij emiſſarium crudeliſſimum, ad bonam frugem reuocare conatus cum nihil profeciſſet, vltorem Deum vt comminatus fuerat, in impiorum ruinam breui conſecutam exciuit, magno omnium terrore, & aucta inſigniter erga virum Dei veneratione, lætantibus pijs, cum viderent vindictam, & lauarent manus ſuas in ſanguine peccatorum, eluente (quod mirum eſt vt Gregorius Nyſſenus b expendit,) non inquinante: quia conſpectus iudiciorum Dei in impios, ad nitorem animę conciliandum, eſt peropportunus.

b orat. de infan. prematur. abrept.

Anno Chriſti 340.

B. Antonium, & ętatis pondere grauatum, (quippè nonagenario maiorem,) & vitę aſperitate corporiſque duriſ-

duriſſima tractatione exhauſtum, & angoribus animi inter tot publica mala fatiſcentem, anno 340. ante Felicem exceſſum decimo quinto, adegerunt fratres, vt binos ſocios ſecum in monte interiori habitare permitteret. Macario & Amathę ea ſors obtigit. Modico illi interuallo, à ſancto Viro ſeiuncti exercebantur, & aliqua ei miniſteria impendebant. Quod alterum eorum S. Athanaſius, a quos habuit geſtorum B. Antonij Autores referens, ait *ad præbendam viro Sancto aquam non parum temporis cum eo feciſſe*, in Græco ita exprimitur, vt ſenſus ſit, fudiſſe aquam abluendis B. Antonij manibus. Quod ipſum munus obiuiſſe apud Eliam proditur Eliſæus, vt eſt in ſacra Regum hiſtoria. b Quæ eſſet ſancto Antonio huius miniſterij neceſſitas, non liquet. In Regum quidem Francorum aula, erat peculiaris miniſter primarius, quem vocabant *Mapparium*, quod manus abluere volenti Principi, aqua effuſa linteum ad extergendum ſubminiſtraret: quo munere in ſeculo functus eſt S. Auſtregiſilus. Num proportionalia miniſteria circa virum ſanctum, adeò à ſeculo ſegregem, excogitabimus? Exiſtimo hoc loco, ac etiam quoad Eliſæum aquam Eliæ affundentem, ſola illa parte miniſterij expreſſa, inſinuatum eſſe multiplex ſeruitij ac obſequij domeſtici genus, quo vterque ſanctus Senex ſubleuari indigebat. Sanè in quidusdam Religioſis Ordinibus, iuniores qui Senioribus emeritis obſequia quædam exhibẽt, dicuntur aquam illis conuehere; eaque periphraſi deſignatur vniuerſum miniſterium, quod impendunt, ſiue ad purgandum cubiculum, ſiue ad ſternendos lectulos, ſimiliaque leuamenta. Hoc ipſum ergo eſt, quod dicitur, B. Antonium habuiſſe miniſtrum qui eius manibus aquam affunderet. Nec vtriuſque, eadem ſancto Seni miniſteria præſtantis, meminit S. Athanaſius, ſed vnius tantùm; quia ab vno duntaxat eorum, in quem incurrerat, didicerat quæ de S. Antonio ſcribere aggrediebatur.

a In Prologo.

b 4. Reg. 3.

Sub annum Chriſti 347. B. Antonius cœleſti voce

O admo-

Anno Chiſti circiter 347.

admonitus, eſt de Pauli Thebæi vita cœleſti in terris. Ad eum ergo centum iam ac tredecim annos natum, pergere iuſſus Antonius, iter imperuium magno animi feruore eſt aggreſſus: in quo itinere obuium habuit Hippocentaurum; à quo barbarum quid infrendente, dexteræ protenſione, ſigna viæ cui inſiſtendum eſſet, accepit. Moxque etiam in Satyrum incidit. Quæ iſta fuerint monſtra, vetus quæſtio eſt. Quidam ſpectra mera dæmoniaca fuiſſe putant. Ita de Satyro, Carpentarius ad Alcinonum, a Thyræus de locis infeſtis. b Lorinus in Leuiticum, c alijque. Alij fabuloſa eſſe quæcunque de Satyris leguntur, ſunt arbitrati. Ita Couarruuias. d Quod habet quoque de Hippocentauris Artemidorus in Onirocritico. e Sed contra experimenta, vt retuli in Naturali Theologia. f & aliud inſigne præter cœtera, extat apud Phlegontem in calce operis de mirabilibus. Affinia ſunt quæ de Onocentauro ex Pythagora retulit Aelianus. g Si D. Hieronymum audimus, non fuerunt hæc vel ſpectra vel commenta ſed phyſica & realia monſtra id quod etiam Bellarminus, h Baronius, i Marianus Victorius, k Euſebius Nerembergius l cenſuerunt; nec non ex medicis Riolanus, agens de monſtro Lutetiæ orto anno 1605. qui exempla adducit monſtrorum humana (magnam partem) forma, ex indebita permiſtione in mari enatorum: cuiuſmodi ipſe quoque multa annotaui proximè ſignato loco; aliaque habentur apud Lilium Gyraldum m in Deorum hiſtoria, ac Henricum Spondanum in auctario. n Narrat etiam aliqua in hoc genere ſuo tempore deprehenſa, Cantipratanus. o At multo facilius, proindeque etiam veriſimilius eſt, eam permiſtionem indebitam è qua exiſtant talia monſtra qualia B. Antonio ſunt obiecta, in terra potuiſſe contingere, quàm in mari. Aſſerat qui volet ea monſtra quibus in hoc euentu intelligentis alicuius naturæ directio non defuit, eſſe luſus naturæ, reales tamen ac Phyſicos,

Incurrit ergo in hæc obiecta, D. Antonius: & quamuis

a Digr.4. initio.
b C.21. à n. 6.
c Ad c.18 v.23.
d 4. var. c.2.
e L. 2. c. 49. & L.4.c. itē 49.
f D. 2, à n.56.
g L. 17. c.20. hiſt anim.
h L. de or. c.7.
i Ad annum 343
k Ad vitam Paull Erem.
l In hiſt. naturæ l.5. c, 8. & 9.
m Synt.5 pag.230.
n Ad annū 1403.
o Lib. 2. Apū c.30 n. 53. & c.57. nu. 10, & 11.

216

uis anceps viæ, tandem tamen confiſus de Chriſti ducatu, poſt triduanum laborem ad ſpeluncam in qua Paulus habitabat, peruenit. Poſt mutua officia & deſcriptos à B. Hieronymo ſermones, Paulus, Antonium de inſtante dormitionis ſuæ die admonitum, rogat vt regrediatur, & pallium quod ab Athanaſio Epiſcopo acceperat, ad inuoluendum defuncti corpus deferre ne grauetur. Volebat ſcilicet, ſolus, vti per tot annos vixerat, in manus creatoris ſpiritum tradere: quod orans fecit, tanta placiditate, vt regreſſus Antonius, tametſi inter Angelorum cateruas, inter Prophetarum & Apoſtolorum choros, niueo candore fulgentem Paulum, in ſublime conſcendere, atque adeò defunctum eſſe altera inter regrediendum die perſpexerat: tamen ex corporis exanimis poſitura, viuere primùm crediderit. Erat enim genibus complicatis, erecta ceruice, extenſis in altum manibus, ita vt precari videretur: Attamen cum poſt aliquam moram, nulla vt ſolebat ſuſpiria precantis audiret Antonius, in flebile oſculum ruens, intellexit quod etiam cadauer Sancti, Deum cui omnia viuunt, officioſo geſtu precaretur. Geminum exemplum, eius quod de cadauere Sancti defuncti ante annos 15. recitat Moſchus. a Itaque obuolutum & prolatum foras corpus, decantatis ritu Chriſtiano pſalmis terræ mandauit; duobus leonibus, ex interiore eremo, ad humum egerendam & foſſam excipiendo corpori efficiendam excitis, quod Sarculum non haberet, miniſterium illud libitinarium mirabiliter exſecutis. Pro pallio autem quo Sanctum corpus inuoluerat, tunicam in ſportarum modum, de palmæ folijs ab ipſo ſibi Paulo contextam, pius hæres vindicauit: qua deinceps quamdiu ſuperſtes fuit, ſolemnibus Paſchæ & Pentecoſtes, ſemper eſt veſtitus Minutè omnia, ipſe B. Antonius, in regreſſu, aperuit duobus diſcipulis qui ipſi teſte B. Hieronymo, iam multo tempore, hoc eſt circiter ſeptennio miniſtrabant, quæ illi ad poſteros fideliter tranſmiſerunt.

a Cap. 89 Limon.

Digitized by Google

runt. Vnde B. Hieronymus, ſuam de Paulo lucubrationem confecit.

Anno Christi 356. Anno demum Chriſti 356. Conſtantij Imp. 19. Antonius annos quinque ſupra centum natus, vereque dierum plenus, iuxta conſuetudinem in Piſpiri ſiue exteriorem montem ad viſendos fratres progreſſus, accepto illic diuino de morte ſua imminente oraculo; & fratribus denunciato, omnes mœrore compleuit: ſimulque pijs monitis circa fidei Catholicæ intemeratam puritatem, & religioſæ vitæ accurationem poſtremùm informatos, deſeruit; & in montem interiorem regreſſus, poſt paucos menſes, cum non mediocre incommodum ſenilia membra turbaſſet, ad extrema deuenit; Solis Amatha & Macario conſcijs, quos de occultando ſepulturæ ſuæ loco, (veritus honores à Pergamio qui in illis locis ditiſſimus erat, ſtructo ipſi templo, deferendos,) vir humillimus eſt obteſtatus, & reculas ſuas ita partitus, vt melotem ac pallium tritum cui ſuperiacebat, Epiſcopo Athanaſio à quo nouum acceperat, ab eo diuerſum quo S. Paulum obuoluerat, reddi mandaret: Serapioni Thmüeos Epiſcopo, aliam melotem legaret; ipſis diſcipulis cilicinum veſtimentum relinqueret. His ita diſpoſitis, poſt fauſtam benedictionem, & excepta à diſcipulis oſcula, mortem lætus aſpiciens, concurſu ad eum facto ſanctorum Angelorum quem eximia morientis hilaritas conteſtabatur, placidiſſimè, purgatiſſimum & præ diuturno martyrio nitentiſſimum ſpiritum emiſit, cœlo terraque glorioſus; etiam elementis, triennio toto mortem eius lugentibus, vt S. Hieronymus clauſum cœlum à B. Hilarione reſeratum deſcribens, vulgo dictum teſtatur. Quis hoc confingi dicat, ſi legerit, a in Simeonis Stylitæ morte luxiſſe aues, plantas, bruta, & orbem Vniuerſum? Addit ibidem D. Hieronymus, de adito per S. Hilarionem poſt illud triennium Sancti Antonij monte, & fixis oſculis cubili in quo iacuerat; ductaque nocte peruigil

a Acta Simeonis c. 17.

eo in

217

eo in loco in quo ſpiritum emiſerat. Quo item pacto, non ita multo poſt, in Syria exigi ſolitam in templo noctem ſolidam feſto Beati Antonij præcurrentem, ex præcepto Magni Euthymij Abbatis, Cyrillus Monachus notauit.

Sic refulgere in templo Dei debuit, *Stella terreſtris:* quo nomine denotatur in Calendario Coptico S. Antonius. Nec minùs ſplendida voce, a S. Hilarione cum adhuc ſupereſſet, denominatus eſt. *Columna lucis, ſuſtinens orbem terrarum.* Agens item cum Ariſtenæte & mortuum biduo ante denuncians, *totius orbis patrem*, vocauit. Paſſim ſine addito dictum *Magnum*, conſtat ex verbis illis Monachorum Alexandrinorum, ad Eulogium pro elephantiaci oeſtro ſollicitum. *Dum adhuc viuit & ſupereſt Magnus ille, aſcende ad eum.* Subditurque in Verbis Seniorum vbi ea narratio deſcribitur; *Sic enim vocabatur Antonius.* Id inquam erat B. Antonij etiamnum ſuperſtitis nomen, *Magnus ille.* Id illi pro nomine ac cognomine erat. Verè Magnus fuit Antonius coram Domino, qui tanti à Sancto Athanaſio [a] factus eſt, vt in lucro ingenti ponat vel recordatum eſſe Antonij. Scriptor ingenio præſtans, [b] Lemma hoc ſepulchrale Beati Antonij tumulo appoſuit, quod repræſento aptam huic loco clauſulam.

[a] In præf. ad Vitã.

[b] Ioannes Andræas Albertus in Elogijs 12. Patriũ.

Perge

Perge porrò Viator
Hominis hìc nihil eſt,
Imo nec mortis.

Antonius vitam penè totam vixit in tumulo.

Nunc extra tumulum, viuus volitat per ora virum.

FINIS.

ORNAT, ET ARMAT.



Digitized by Google

Digitized by Google

OPERIS INDICVLVS.

§.1. *Extremorum circa imagines Symbolicas declinandorum, exempla quædam.*
§.2. *Symbolum ignis S. Antònio appicti, quodnam de vulgatiore ſententia.*
§.3. *Ignem S. Antonio appictum, eſſe ignem quo vir Dei, reſtinguendo igni luxuriæ pedes aduſſerit, quorundam ſententia.*
§.4. *Ignem S. Antonio appictum, videri poſſe ignem vltorem.*
§.5. *Non abhorrere à vero, Ignem S. Antonio appingi, tanquam belli ſacri & Religioſæ militia Pyrphoro.*
§.6. *Pia nec inueriſimilis cogitatio, igne appicto B. Antonio, feruorem virtutum eius omnium, præſertimque flagrantiſſimæ charitatis incendium deſignari.*
§.7. *Profani ignis à S. Ant. decuſſio, per ignẽ ad eius pedes iacentẽ, veriſimillimè expreſſa.*
§.8. *Tranſitum ad alia Symbola B. Antonio appicta, ac primùm ad ſuem.*
§.9. *Liber S. Antonio appictus, quod Symbolũ.*
§.10. *Baculus, eidem cum libro manui conſertus, quid præferat.*
§.11. *Quid tintinnabulum in altera S. Antonij manu appictum.*
§.12. T. *Veſti appictum, quid notet.*
Chronotaxis Antoniana, Breuiculum Vitæ S. Antonij, vna ſerie continuatum, & quantũ licuit, per annos Christi digeſtũ, cõprehendẽs.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

Digitized by Google

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
A R A
GIU. 197[redacted]